



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

Socratis Scholastici Historiae Ecclesiasticae, Liber Secundus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

40
S O C R A T I S

SCHOLASTICI HI-
STORIAE ECCLE-
SIASTICAE,

Liber Secundus.

*Prooemium in quo declarat quare quæ in primo &
secundo libro tractantur, alius repetierit.*

C A P V T I.



Vanquam Ruffinus, qui historiam
Ecclesiæ latinis literis mandabat, in
temporum propterea aberravit ordi-
ne, quod discrimina, in quæ deue-
nerat Athanasius, post mortem Impe-
ratoris Constantini accidisse arbitra-
tur. Ignarus nimirum cū aliarum re-
rum complurium, quas pertulisset, tū
exilij, quod in Gallia perpeffus esset: tamen nos eius opini-
onem & sententiam, quod ad rerum gestarum attinet narra-
tionem antea secuti, Primum & Secundum historiæ nostræ
librum conscripsimus. A tertio autem ad septimum vsque,
nonnulla ex eiusdem Ruffini libris petendo, alia ex aliis di-
uersis scriptoribus excerpendo, quædam deniq; ex ipsis ho-
minibus, quibus adhuc vita suppetit, audiendo, historiam
omnibus suis partibus expleuimus. Postea tamen cum for-
te fortuna incideremus in eos Athanasii libros, in quibus
tum de suis ipse miseriis conqueritur, tum qua ratione Eu-
sebianæ factionis Calūnia in exilium missus fuisset, expo-
nit, nobis pro certo persuasum videbatur, ei qui istis affli-
ctus fuisset, aliisq; qui res gestas ipse corā aspexissent, mul-
to potius fidem adhibendā, quàm his qui nitebantur cōie-
ctura, & ob eam causam in errorē incurrebant. Quinetiā va-
rias nonnullorum epistolas, qui id tēporis vixerint, sedulo
perlegendo, veritatē, quātum fieri poterat, inuestigauimus.
Quapropter & res gestas in primo & secūdo nostræ histo-
riæ li-

riæ li-

SOCRATIS HISTORIAE

riæ libro cõmemoratas, altius coacti sumus repetere, & eas, in quibus Ruffinus neutiquam à veritate deflexerit, adiecimus. Porro aut̃ illud intelligendũ est, nos in priore istorũ librorũ æditioe, neq; abdicatione Arii, neq; imperatoris epistolæ posuisse, sed ne historiæ lōgitudō legentiũ studia vlla ex parte retardaret, res breuiter nullis orationis ornamentis adhibitis explicasse. Verũ quoniã hoc ob eam causam faciendum fuit, Theodore, sacerdos Dei sanctissime, vt videlicet cognosci possent, tum epistolæ, quæ ab Imperatoribus totidem verbis perscriptæ sunt, tum ea, quæ Episcopi in variis conciliis, dum perfectiora de religione decreta pedetẽtim sancire laborabant, in lucem ædiderunt, idcirco in hanc posteriorem nostram æditionem ea, quæ ad illud institutum accommodata putabamus, studiose coniecimus. Atq; istud quidem & in primo libro præstitimus, & in secundo, quem iam habemus in manibus, sedulò præstare enitemur. Sed iam in historiam ingrediamur.

Quòd Eusebius Nicomedensis cum suis, denuò Arii dogma resuscitare adnixus est, vnde motus in Ecclesia nati sint, & quomodo Athanasius literis Constantini iunioris cõmunitus Alexandriã redierit.

CAPVT II.

Mortuo Imperatore Constantino, Eusebius Nicomedensis, & Theognis Nicæe episcopus, tempus opportunum se nactos arbitrati, omnes suos neruos contenderunt, vt fidem de Consubstantiali confirmatam exturbarent ab ecclesia, Arii quæ opinionem in eius locum introducerent. Verũ hoc se minime consequi, & efficere posse intellexerunt, si Athanasius rediret Alexandriam. Ista quidẽ callide aggressi sunt subsidiis illius presbyteri, quem causam fuisse ante diximus, cur Arius esset reuocatus, adiuti, sed quemadmodum res confecta sit, dicendum arbitror. Presbyter iste testamentum & mandata, quæ ab Imperatore iam mortuo acceperat, Constantio Imperatoris filio defert. Ille, vt intellexerat, hoc ipsum in testamento scriptum esse, quod sibi erat maximè in optatis (testamento enim partium imperij ad orientem spectatium hæres institutus fuit)

Pref-

Presbyterum in magno honore habere: multū illi tribuere cœpit libertatis: libere & audacter in regiam ingredi iubet. Quæ quidem libertas illi ab imperatore concessa, tum ad vxoris imperatoris, tum ad eunuchorum eius familiaritatē aditum cito patefecit. Eodem tempore eunuchus quidam, cui nomen erat Eusebius, primarius fuit Imperatoris cubicularius. Hic presbyteri suafu peruerse Arii opinioni assensit: reliquosq; eunuchos in eandem induxit sententiam.

Quinetiam Imperatoris coniunx eunuchorum & presbyteri hortatu & Consilio, in Arii errorem prolapsa est. Paulo post Imperator ipse rem in quæstionem vocauit: pedentim passim vagari cœpit. Ac primum inter satellites, qui palatium frequentabant: deinde per multitudinis animos, quæ urbem incolebat, peruadere. De opinione illa in ipsa regia cubicularij Imperatoris cum mulierculis digladiantur: in singulis vrbis familiis litigiosa differendi pugna fuit. Mali igitur illius contagio ad alias prouincias & ciuitates celeriter permanauit: & controuersia, velut scintilla, ex paruis admodum initiis exorta, audientium animos ad discordiam concitauit. Nam cuique causam tumultus sciscitanti, ansa statim disceptandi oblata est: & quisq; non modo de ea rogare, verumetiam pugnaciter differere voluit. Ita contentionis procella tranquillius rerum status penitus labefactatus est & euersus. Atque istæ quidem concertationes vrbes solum ad orientem vergentes isto modo exagitarunt. Nam Illyrium & aliæ regiones versus occidentem, interea temporis pacatæ & quietæ fuerunt: quippe quæ concilij Nicæni decreta nullo modo perfringere voluerint. Postquam igitur contentionis flamma erat accensa, & indies magis magisq; exardescibat, factio Eusebiana multitudinis tumultum in lucro deputauit. Sic enim posse fieri sperabat, vt aliquis Alexandriae Episcopus deligeretur, qui eandem tueretur opinionem. Verum eodem temporis momento Athanasius literis Cæsaris Constantini iunioris scilicet, patris nomine nuncupati, quasi communitus Alexandriam reuertitur: eas quidem literas Imperator ipse ad populum Alexandrinum ab vrbe Treueri quæ est in Gallia miserat: quarum exemplar infra scriptum est.

SOCRATIS HISTORIAE

*Constantinus Cæsar populo Ecclesiæ Catho-
licæ Alexandrinæ, S.*

Vestra prudentiæ minimè obscurum arbitror, quid cau-
sa fuerit, cur sacrosanctæ legis, & doctrine euangelicæ
interpres Athanasius, à patre meo in Galliam ad tem-
pus relegatus sit: ne scilicet per nefariam improborum quo-
rundam peruersitatem (nam agrestis infestorum & crude-
lium hostium immanitas eius capiti periculum intenderat)
vulnera plane insanabilia sustinere coactus fuisset. Quo-
circa ut hanc nequam hominum malitiam effugeret, ex il-
lorum quasi faucibus, qui ei struebant insidias, ereptus est,
iussusq; ut sub mea ditione vitam degat, quo non aliter ac
si in ea ciuitate versaretur, in qua ante hac vixerit, omnibus
rebus ad vitam necessariis (licet eius eximia virtus, diuina
ope freta, graues asperioris fortunæ ærumnas pro nihilo pu-
tet) abundare circumfluereq; possit. Quamobrem cū Do-
minus noster felicitis memoriæ Constantinus Augustus, pa-
ter meus haberet in animo Episcopum illum ad propriam
sedem locumq;, quem apud vos, viros gratissima erga Deū
pietate præstantes occupauerat, restituere & morte, ut fors
humana fert, ante occupatus occumberet, quàm id, quod e-
rat sibi in optatis, explere posset, Consentaneum certè exi-
stimai, ut ipse institutum tam pii Imperatoris mihi exe-
quendum susciperem. Quanta autem obseruantia & hono-
re hominem complexus fuerim, ab eo ipso, simul atq; in ve-
strum conspectum venerit, facile intelligetis. Nec mirum
sanè, me istud humanitatis officium erga illum declarasse.
Nam cum quædam vestri desiderij quasi effigies, tum gra-
uis hominis persona ante oculos mentis obuersata animum
meum ad hoc ipsum commouit, vehementerque cohortata
est. Deus vos, fratres mei Charissimi, sua prouidentia diu-
seruet incolumes. Istis literis confusus Athanasius, Ale-
xandriam reuertitur: quem populus Alexandrinus animis
lubentissimis recepit. Verùm qui in ea vrbe labe opinionis
Arianæ erant aspersi, contra illum conspirarunt. Inde cre-
bræ seditiones ortæ, quæ factioni Eusebianæ ansam ad Atha-
nasium apud Imperatorem falso accusandū præbuerūt: eiq;
crimini datum est, quod suo ipsius arbitrio, cū communis
episco-

piscoporū conuentus illud minimè decidisset, ecclesię illius administrationem denuo occupasset. Adeò verò creuit calumnia, vt Imperator ira admodum accensus, eum Alexandria exturbaret. Sed qua ratione hoc factitatum sit, dicam equidem paulò post.

Quòd Eusebio Pāphili mortuo, Acacius Cæsaria episcop⁹ creatus est, et de Cōstātini iunioris morte. CAP. III.

Eodem tempore, Eusebius cognomento Pamphilus Cæsarię Palæstinę episcopus, mortē obiit, & Acacius eius discipulus in illum successit episcopatū: qui quidem cum alios complures libros, tum librum de vita prætoris sui Eusebii conscripsit. Non longo tempore post Constantinus iunior, qui nomen à patre traxerat, frater Imperatoris Constantij in fines imperij Constantis fratris sui natu minoris irruptionē faciens, cū eius militibus manu cōfligit, ab eisdeq; interficitur, Acindyno & Proclo Cofs.

Quòd Alexander cum è vita decederet, duos in episcopatum ipsius delegendos proposuit, Paulum & Macedonium. CAP. IIII.

PER idem tēpus in vrbe Constantinopoli, alius tumultus eas seditiones, quas ante posuimus, est continuò insecutus, qui quidē eiusmodi de causa excitatus est. Alexander illius ecclesię Episcopus, qui strennuè contra Ariū dimicauerat, cū viginti tres annos in episcopatus administratione contriuisset, annosq; vixisset nonaginta octo, excessit è vita: & quanquā neminē, qui in eius locum succederet, renuntiauerat, illis tamen penes quos erat episcopi diligendi potestas, in mandatis dedit, vt alterū è duobus, quos ille nominaret, deligerent. Atque si vellent hominem cū ad populū docendū aptū, tū vitæ & morū integritate probatū, ad illud mūnus assumere, Paulo, quē ipse presbyterū ordinauerat suffragarētur: qui vt ætate admodū iuuenis, ita prudentia & cōsilio planè senex erat. Sin eum, quē illustris pietatis significatio solū cōmendabat, sibi dari optarēt, Macedonio eū honoris gradū deferrent: qui & diaconus illius ecclesię iam pridē fuisset, & nūc ætate valde prouectus. Vnde in episcopo deligēdo maior orta cōtentio, ecclesiāq; graui⁹ exagitata est. Nā popul⁹ fuit in duas factiōes diuisus: quarū altera

SOCRATIS HISTORIAE

dogmati Ariano adhæsit mordicus: altera cum decisione concilij Nicæni penitus consensit. Ac dum Alexandro vita suppetebat, illi qui fidem de consubstantiali confirmatam amplexi sunt, ab Arianis, qui pro suo ipsorum dogmate pertinaciter disceptabât, & in dies singulos acriter digladiabantur, superiores partes tulerunt. Verùm vt primû ille ex hac luce migrauerat, populi dimicatio valde anceps fuit. Ob quam causam, qui fidem Consubstantialis tuebantur, Paulum creauerunt episcopum: qui autem fauebât Arianismo, ad Macedonium deligendum omni studio incubuerunt. Atq; in ecclesia, quæ pacis nomen habet, quæq; in proximo sita est illi, quæ magna Ecclesia dicitur, sapientiæque nomine nuncupatur, Paulus deligitur Episcopus: inque eo deligendo demortui suffragium videbatur primas tulisse.

Quòd Constantius Imperator Paulum iam ordinatum episcopum extrudit, ac Eusebio quem Nicomedia reuocandum curauit, Constantinopolis episcopatum tradit, & quòd Eusebius alteram Synodum Antiochiæ vrbis Syriæ congregari fecit, ac inibi aliam fidei expositionem pronunciari.

CAPIT V.

NON multò post Imperatori Constantinopolim aduentanti electio Pauli episcopi, nõ mediocrem bilem mouit. Atque concilio episcoporum improbæ Arii opinionis deditorum in vnum conuocato, Paulum episcopatu abdicandum curat: Eusebiumq; Nicomedia eo traditum, Constantinopolis episcopum renuntiat. Quibus rebus confectis, Imperator Antiochiam iter capit. Eusebius acquiescere non potuit, sed omnem lapidem, vt in prouerbio est, mouit, Vt quod animo instituisset, ad exitum perduceret. Concilium igitur Antiochiæ, quæ est in Syria, cogit, ecclesiæ scilicet dedicandæ nomine, quam Constantinus istorum imperatorum Augustorum pater ibi ædificare cœperat. Post cuius mortem filius eius Constantius decimo anno post iacta illius fundamenta eam absoluit: idque si verum dicere volumus, vt fidem Consubstantialis profus

fus labefactaret euerteretque. In isto concilio episcopi no-
 naginta ex diuersis ciuitatibus conuenerunt. Verum Ma-
 ximus Hierosolymorum episcopus, qui Macario successer-
 rat, ad illud neuiquam accessit: ratus, si accessisset, se com-
 pulsum iri Athanasij abdicationi subscribere. Quinetiam
 Iulius Romanus episcopus, neuiquam aderat: neque que-
 quam, qui eius locum suppleret, eo misit, idque cum Canon
 ecclesiasticus iubeat, non oportere absque sententia episco-
 pi Romani decreta ecclesiis sancire. Cogitur itaque con-
 cilium Antiochiæ, præsentate Imperatore Constantio, Mar-
 cello & Probino Cofs. Quintus iam annus agebatur à mor-
 te Constantini istorum Cæsarum Augustorum patris. Id
 temporis Ecclesiæ Antiochenæ præfuit Placitus, qui Eu-
 phronio successerat. Factio verò Eusebiana ad Athanasium
 falso accusandum, operam suam ac studium potissimum con-
 tulit: ac primum quod decretum, ab illis tum statutum, vio-
 lassent, scilicet quod absque consensu & sententia commu-
 nis concilij episcoporum, gradum sacerdotij denuo susce-
 pissent. Nam illum ab exilio redeuntem, suo ipsius arbitrio
 ad ecclesiam regendam præcipitem ruisse querebantur.
 Deinde quod in eius reditu, tumultu oborto, multi in sedi-
 tione interissent: quodque illius opera alij plagis cæsi, alij
 in iudicium adducti fuissent. Quinetiam ea, quæ Tyri con-
 tra Athanasium acta fuere, in medium proferunt.

De Eusebio Emiseno. CAP. VI.

INterea loci, dum ista falsa criminatio Athanasio illata
 est, Eusebium illum cognomento Emisenum, episcopum
 Alexandriæ deligunt. Quisnam iste fuerit, docet Geor-
 gius Laodicæ episcopus, qui tum in illo ipso concilio ad-
 erat. Etenim in libro illo, quem de eius vita ædiderat, nar-
 rat primum Eusebium ex viris primariis Edeffæ, quæ est in
 Mesopotamia, oriundum: & ab ineunte ætate sacris literis
 institutum. Deinde humaniori literatura liberaliter à do-
 ctore, qui id temporis Edeffæ habitabat, instructum. Postre-
 mò sacri eloquii intelligentiam ex Patrophilo & Eusebio,
 qui illud ei interpretabantur, didicisse: quorum hic Eccle-
 siæ Cæsariensis, ille Scythopolitana Episcopus fuit: Post-
 hæc Antiochiam, vbi Eustatium à Cyro Beræensi forte for-
 tuna

SOCRATIS HISTORIAE

tuna erroris Sabelliani accasatum, gradu deiectum esse con-
tigerat demigrasse. Deinceps cū Euphronio, qui Eustathio
successerat, vna versatum, & quo sacerdotij munus vitaret,
Alexandriam perrexisse: illic philosophiæ operam dedisse:
postea Antiochiã reuersum, Placiti qui successerat Euphro-
nio familiaritate vsum fuisse. Inde ab Eusebio Cōstantino-
polis Episcopo ad Alexandria episcopatū gerendum accer-
situm: Verūm propterea, quod Athanasius à populo Alexā-
drino plurimum deligeretur, non eo profectum, sed missum
ad urbem Emisenorum. Vbi de eius electione magna ad po-
pulum Emisenum excitata discordia (in simulabatur enim
disciplinam Mathematicam exercuisse) fugam cepisse: La-
odiceam ad Georgium, qui de eo multa prædicarat, se con-
tulisse. Georgius verò illum Antiochiam deduxit, & per
Placitum & Narcissum Emisam reducendum curauit: eum
denuò in crimen erroris Sabelliani vocatum. Atque ista de
eius electione Georgius fusius disseruit. Ad extremum ad-
iungit, tum Imperatorem ad Barbaros fortè profectum, Eu-
sebiū inde abduxisse: tum pro certo compertum esse por-
tentosas quasdam præstigias ab eo æditas fuisse: sed de illis
quæ sunt à Georgio de Eusebio Emiseno commemorata,
hactenus.

*Quòd qui conuenerant Antiochiæ Episcopi, cum
Eusebius Emisenus Alexandriam recusaret,
Gregorio pro eo suscepto, fidei Nicææ confir-
mata mutationem fieri curabant.*

C A P. VII.

Eodem tempore cum Eusebius Antiochiæ esset Epi-
scopus Alexandria delectus, & eo proficisci extimesce-
ret, Gregorio illum episcopatus gradum deferūt. Qua-
re confecta, fidem cōmutare laborant: qui tametsi nihil eo-
rum, quæ in concilio Nicæno acta sunt, repræhendere vole-
bant, reuera tamen fidem Consubstantialis per crebra con-
cilia labefactare & euertere, & alias aliter de fide decidere
aggressi sunt, vti paulatim homines ad Arij opinionem im-
pellerent. Cæterum qua ratione ista acta sint, sequenti ser-
mone ostendemus.

Epi-

Epistola ab illis de fide literis prodita, hæc quidem est.

NOS neq; fumus Arii sectatores (qui namq; fieri po-
 test, vt cum simus episcopi, Ario presbytero auscul-
 temus) neq; aliam fidem, quàm quæ ab initio diuulgata
 sit, recipimus: sed, cum in fidē eius studiose inquirere, eaq;
 accuratē expendere niteremur, Arium potius ad nos reuer-
 tentem admisimus, quàm eius opinioni sumus ipsi obsecu-
 ti: idq; ex iis, quæ dicentur, facile cognoscetis. Nam nos ab
 initio didicimus in vnum Deum totius vniuersitatis, om-
 nium rerum, quæ tum mente, tum sensu percipiuntur, opifi-
 cem & curatorē credere: & in vnum filium Dei vnigenitū,
 qui fuit ante omnia secula, & vna cū patre, qui cum genu-
 rat, extitit: per quē omnia visibilia, & inuisibilia facta sunt.
 Qui in nouissimis diebus secundum patris beneplacitum
 descendit, & carnem de sancta virgine assumpsit. Qui omnē
 patris sui voluntatem expleuit: qui passus est, resurrexit, &
 ad cælos ascendit, & ad dexteram patris sedet. Et venturus
 est iudicare viuos & mortuos, & rex ac Deus in secula per-
 mansurus. Credimus etiam in spiritum sanctum. Et si quid
 amplius adiūgendum est: Credimus carnis resurrectionē,
 & vitam æternam. Ita cum in prima epistola scripsissent, ec-
 clesiæ ministris cuiusque ciuitatis miserunt. At vbi paulō
 amplius Antiochiæ fuerant commorati, hanc fidei formulā
 quodammodo cōdemnantes, aliam de integro conscriben-
 dam curarunt, his ferē verbis. Credimus secundū euan-
 gelicam & apostolicam traditionem, in vnum Deum patrē
 omnipotētē, rerum vniuersarum opificem & fabricatorē.
 Et in vnū dominum Iesum Christū, filium eius vnigenitū,
 Deum, per quem omnia facta sunt: genitum ante omnia se-
 cula ex patre, Deum de Deo, totum ex toto, solum ex solo,
 perfectum ex perfecto, regem ex rege, dominū ex domino,
 verbum viuum, sapientiam, vitam, lucem veram, viam veri-
 tatis, resurrectionem, pastorem, ostium, eumq; nec conuerti,
 nec mutari posse, expressam diuinitatis, essentiæ, virtutis, cō-
 filij, gloriæ patris imaginem, primogenitum omnis crea-
 turæ: qui fuit in initio apud Deum, Deus verbum, si-
 cut in Euangelio dictum est: & Deus erat verbum, per
 quem omnia facta sunt, & in quo omnia consistunt.

SOCRATIS HISTORIAE

Qui in nouissimis diebus descēdit de caelis, & natus est ex ,
 virgine secundum scripturas, & homo factus, mediatorque ,
 Dei & hominum, Apostolus fidei nostrae, dux vitae, & sicut ,
 ait ipse de se: descendi de caelo, non vt facerem voluntatē ,
 Iohan. 6. meam, sed voluntatem eius qui misit me. Qui passus est pro ,
 nobis, & resurrexit pro nobis tertia die, & ascendit ad cae- ,
 los, & sedet ad dexteram patris. Et iterum venturus est cum ,
 gloria & virtute iudicare vitios & mortuos. Et in Spiritum ,
 sanctum, qui credentibus ad consolationem, sanctificatio- ,
 nē, & perfectionem donatus est. Sicut etiam Dominus no- ,
 Matt. 28. ster Iesus Christus praeceperat discipulis suis, dicens: Eun- ,
 tes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, ,
 & filii, & spiritus sancti: hoc est patris, qui verē pater est: & ,
 filii, qui verē filius est: & spiritus sancti, qui verē spiritus san- ,
 ctus est: quae nomina non sunt temerē aut ociose posita, sed ,
 accuratē exprimunt, propriam personam, ordinem & glo- ,
 riam cuiusque eorum, qui nominantur, vt sint personis tres, ,
 consensu autem vnus. Istam igitur fidem coram Deo patre, ,
 & filio suo Iesu Christo tenentes, omni tempore haereticae ,
 prauitati anathema denunciamus. Et si quis contra rectam ,
 ac sanam scripturarum fidem docuerit, vel tempus, vel secu- ,
 lum esse, vel fuisse, & ante filium Dei factum esse, anathema ,
 esto. Si quis dixerit filium creaturam, tanquam vnā ex cre- ,
 aturis, aut germen, tanquam vnum ex germinibus, & non ,
 sicut sacrae scripturae singula eorum, quae supra diximus, tra- ,
 diderunt, aut si quis aliud aut docuerit aut euangelizauerit, ,
 praeter id, quod accepimus, anathema esto. Nos enim ,
 omnibus, quae à scripturis diuinis, à prophetis, & Apostolis ,
 tradita sunt, verē & ingenuē credimus, eaque diligenter se- ,
 quimur. Eiusmodi fuere fidei formulae episcoporum, qui- ,
 tum Antiochia conuenerant: quibus Gregorius, quan- ,
 quam nondum Alexandriam aduentauerat, vt Alexandriae ,
 tamen episcopus subscripsit. Concilium autem iam tum ibi ,
 congregatum cum istas res transegisset, aliasque nonnullas ,
 sanxisset, diuisum est. Eodem tempore rerum publ. status ,
 forte fortuna magnopere perturbatus fuit. Nam gens Fran- ,
 corum (sic enim appellantur) in Romanorum fines, qui ,
 Galliae finitimi sunt, incursionem fecit. Per idem tempus ,
 etiam in oriente terramotus grauisissimi facti sunt, idque An- ,
 tiochia

tiohiæ vel maximè, vbi ad annum integrum terra concussa & exagitata fuit.

Quomodo cum Gregorius deducantibus eum militibus Alexandriam venerat, Athanasius salutem sibi fuga quaesierat. CAP. VIII.

HIS rebus constitutis, Syrianus dux, & milites armati vna ad quinque milia, Gregorium Alexandriam deduxere. Ariani autem ibi illis venere subsidio. At qua ratione Athanasius ecclesia exturbatus, eorum manus effugerit, dicendum arbitror. Iam ad uesperascebat: populus per totam noctem, quia communio futura erat, aduigilat. Accedit dux, militibus per phalanges dispositis, ecclesiam circumdat. Quæ cum animaduertisset Athanasius, omnè suam curam & cogitationem eo contulit, vt populus nihil damni ipsius causa caperet. Dat mandatum Diacono, vt preces populo prædicaret. Psalmum recitare iubet. Cum psalmus suauius & cum concentu decantaretur, vniuersus populus per vnã portam ecclesiæ egreditur. Dum istud gerebatur milites absque tumultu acquiescunt: Athanasius autem in media canentiũ turba euadit incolumis. Isto pacto, è periculo ereptus, Romam prope contendit. Tum Gregorius ecclesiam illam occupat. Populus Alexandrinus, quod factũ erat iniquo animo ferens, ecclesiam, quæ est Dionysii nomine appellata, incendit. Sed de his satis multa.

Quomodo post mortem Eusebij populus Constantinopolitanus Paulum rursus in episcopali sede locauerat, & Ariani contra Macedoniũ delegerint. CAP. IX.

EVsebius, simul atque ea, quæ volebat, confecerat, legatum ad Iulium Episcopum Romanum oratum misit, vt ipse in causa Athanasii iudex esse vellet, litisquæ diiudicationem ad se transferret. Verùm ea, quæ erant à Iulio de Athanasio iudicata, ad aures Eusebij neutiquam perueniunt. Nam paulo post dimissum Concilium, exiuit è vita. Quapropter populus Constantinopolitanus Paulum in Ecclesiam denuo introducunt. Eodem temporis momento

SOCRATIS HISTORIAE

Ariani in ecclesia diuo Paulo dicata Macedonium deligunt episcopum. Istud quidem ab illis actum est, qui iam pridem Eusebio vniuersum ecclesiae statum perturbanti opem tulerant. Qui autem id temporis autoritate multum valebant, fuere isti: Theognis Nicæe episcopus, Maris Chalcedonis, Theodorus Heracleæ, quæ est in Thracia, Vrsacius Singidonis superioris Mysiæ, Valens Murforum superioris Pannoniæ. Verum Vrsacius & Valens postea resipiscere, libelloq; pœnitentiæ Iulio episcopo donato, fidei Cōsubstantiali assentiri, cumq; ecclesia communicare cœperant. Per idem tempus, qui sectam Arianã ardentè tuebantur, bella valde graua contra ecclesias commouent: ex quibus vnũ Constantinopoli per Macedonij fautores excitatur. Atq; ex isto intestino bello Christianorũ, crebræ in ea ciuitate seditiones confiantur, multiq; earum violentia protriti intereunt.

De Hermogenis ductorũ exercitus nece, & quomodo secundo ob hanc causam Paulus ecclesia pulsus sit, & quòd Ariani translato Alexandria Gregorio, Georgium pro illo substituerint. CAP. X.

Fama istarũ rerum ad aures Imperatoris Constantii, qui tum Antiochiæ cõmorabatur, permanauit. Mandatum igitur dat Hermogeni duci, qui erat in partes Thraciæ missus, vt ab instituto itinere paululum digressus, Paulũ ecclesia expelleret. Ille Constantinopolim profectus, vniuersam urbem, dũ episcopũ vi conatur eijcere, vehemẽter conturbat. Statim nãq; populi tumultus insecutus est, paratiq; erant episcopũ defendere: vt verò instabat Hermogenes, cõpitiq; militaribus Paulũ exigere acriter nitebatur, multitudinẽ percita, temerè & inconsulto, vt in huiusmodi seditionibus fieri solet, impetum in illum facit: ædes, in quibus erat, incendit: illum ipsum inde extractũ interimit. Ista acta sunt duobus Augustis Cõs. ad tertium scilicet consulatum Constantij, ad secundum Constantis. Quo quidẽ tempore Constans gentẽ deuicit Francorum, eosq; fœderatos ac socios Romanis fecit. Constantius autem Imperator, de cæde Hermogenis certior factus, equo conscenso Antiochia decedens Constantinopolim rectè iter capit: Paulum eijcit è ciuitate: ipsam ciuitatem ablato frumenti congiario, super qua-

quadragies centena millia medimnorum, quod illi ab eius patre in dies singulos donatum erat, multauit. Nam ante illud tempus circiter octuagies centena millia medimnorum frumenti, quod Alexandria eo aduchi solet, illi vrbis erant suppeditata. Macedonium verò Imperator Episcopum eius ciuitatis renūciare distulit. Etenim in illum, non solū quod de eius sententia & cōsilio neutiquam delectus fuisset, Verum etiā quod propter graues tumultus inter ipsum & Paulum excitatos, cum alij multi, tum dux eius Hermogenes trucidatus fuisset, iracundia admodum exarsit. Itaq; potestate Macedonio conuentus in ea solum ecclesia celebrandi, in qua electus erat episcopus, permissa, Antiochiam reuertit. Interea temporis Ariani Gregorium vtpote à populo magnopere inuisum Alexandria transferunt: idq; nō ea de causa solum, sed etiam cum propter templi incendium, tum propterea quod non satis videbatur ipforum opinioni patrocinari. Georgium igitur accersunt, qui & ex Cappadocia oriundus, & opinione de religione, quam illi tuebatur, imbutus fuit.

Vide Niceph. lib. 9. cap. 7.

Hic leg. Niceph. lib. 9. cap. 7.

Quòd Athanasius & Paulus Romam profecti, ac Iulij Pontificis literis nixi, proprias sedes rursus consequuti sunt. CAP. XI.

Athanasius verò vix dum in Italiam traiecerat. Id tēpo-
ris Constans, qui inter Cæsares minimus natus fuit, fratre suo Constantino, sicut iam antea diximus, à militibus interfecto, imperij partibus versus occidentem profuit. Eodem tempore Paulus episcopus Constantinopolis, Afclephas Gazæ, Marcellus Ancyrae, vrbis minoris Galatiæ, & Lucius Adrianopolis, alius ob aliam causam, accusati, & ecclesiis suis eiekti, Romæ omnium ciuitatum facile principi versantes, Iulium episcopū Romanū de suo ipforū statu certiorē faciunt. Ille verò, quoniā Ecclesia Romana priuilegiū præter cæteras obtinebat, literis suis ad episcopos orientis liberi⁹ perscriptis, illorū partes tueri studet: in orientē literas mittit, quo & suus cuiq; locus restitueretur, & eos qui illos temere abdicauerāt grauer reprehēderet. Illi decedūt Roma: literisq; Iulij episcopi cōfisi, ad suas ipforū ecclesias redeunt: literas, ad quos scriptæ erāt, mittūt. Hi, vbi eas acceperāt
Iulij

SOCRATIS HISTORIAE

Iulii reprehensionem contumelia loco ducunt. Concilium Antiochia conuocant. Ibi, simul atque conuenerant, de cōmuni omnium sententia epistolam conscribunt, per quam Iulium contra acrius insimulant, ostenduntq; si qui eorum arbitrio ecclesia forte exacti essent, rem ab eo non debere decerni. Nam quando ille Nouatum ecclesia exturbarat, ipsos minimè contradixisse. Ista episcopi orientis Iulio episcopo Romano per literas significarunt. Cæterum quoniã, Athanasio Alexandriam ingresso, tumultus à Georgio Ariano excitatus est (fertur enim istius conatu turbas, cædesque hominum factas) & Ariani cum istos tumultus, tum eorum causas in Athanasium, tanquam earum authorẽ translulere, propterea pauca mihi hoc loco de eisdem rebus dicenda sunt. Veras earum causas, & si Deus, qui est veritatis iudex, solus quidem intelligit: tamen quod eiusmodi res cum multitudo intestina seditione digladietur, maxima ex parte accidere soleant, prudentibus viris minimè obscurum est. Quare Athanasii accusatores temere & sine causa culpã in eum conferunt: & Sabinus vel maximè, erroris Macedoniani patronus: qui si, vel quanta & quàm graua mala Ariani contra Athanasium, aliosq; qui fidei Consubstantialis firmè adhærescebant, machinati fuissent, vel quas exostulationes concilia Athanasii causa coacta, de illo fecissent, vel quæ facinora hæreticorum princeps Macedonius contra omnes ecclesias molitus esset, secum diligenter considerasset, aut certe conticuisset, aut si cœpisset loqui, ea loqui debuisset, quæ ad istarum rerum vituperationẽ spectassent. Iam verò ista omnia silentio præterit: res autem ab Athanasio gestas falso criminatur. At de Macedonio hæreticorum Coryphæo, dum audaces & perditos eius conatus, quos tã tragicè parauerat, penitus occultare studet, nullam omnino fecit mentionem. Et quod multo plus habet admirationis, de Arianis quos ipse vitabat, non male loquitur. Quinetiã de electione Macedonii, quem secutus est, plane reticuit. Nam si illius mentionem fecisset, mentionem etiã suorum ipsius scelerum (sicut ea, quæ in illa ipsa electione acta sunt, satis perspicuè declarant) omnino facere necesse fuisset. Verum de illo hætenus.

Quòd

*Quòd Imperator Paulum per Philippum præf-
ectum exturbari, atque in exilium mitti, ac Ma-
cedonium in sede eius collocari præceperit.*

CAPVT XII.

Constantius Imperator Antiochiæ commoratus, si-
mul atque acceperat Paulum episcopatus Constanti-
nopolitani sedem denuò occupasse, rem acerbè & gra-
uiter tulit. Philippo igitur præfecto, vtpote maiorem cæte-
ris prouinciarum præsidibus potestatem consecuto (secun-
dus namque ab Imperatore nuncupatus est) mandatū scri-
ptis proditum mittit, vt Paulum eijceret ecclesia, Macedo-
niumq; in eius locum introduceret. Præfectus verò Philip-
pus, populi tumultū veritus, Paulum astutè admodum ag-
greditur: Imperatoris voluntatem tacitus occultat. Atque
simulata specie publicis ciuitatis rebus diligenter prouidē-
di, ad balneum publicū, quod Zeuxippus dicitur recta per-
git: mittitq; inde quendam, qui Paulum honorificè accer-
feret, diceretq; illum ad præfectū venire debere necessariò.
Postquam ille accitus venerat, præfectus absque mora Impe-
ratoris mandatum ostendit. Episcopus sentētiā, licet ini-
què contra eum pronuntiatā, æquo animo fert. Præfectus
autem tum eos, qui circumfistebant, tum multitudinis impe-
tum admodum reformidans (multi namque rumoris suspi-
cione commoti, ad publicum illud balneum concursarant)
vnam fenestram balnei aperire iubet. Paulus per eam in na-
uigium ad eam rem paratum demissus, cum festinatione in
exilium mittitur. Cui in mādatis dedit præfectus, vt Thes-
salonicam, primariam Macedoniæ ciuitatem, (in ea verò à
maioribus suis oriundus erat) proficisceretur: inq; illa vitā
degeret, libereq; & securo animo ciuitates etiam adiret Il-
lyrij. Verùm ad partes versus orientem reuertendi nullam
omnino ei facere voluit potestatem. Paulus igitur præter
expectationem & ecclesia pariter & ciuitate eiectus, cum ce-
leritate abducitur. Imperatoris præfectus Philippus, ex bal-
neo publico ad ecclesiam maturat. Cum illo quasi compo-
sito factū fuisset, aderat Macedonius: inque rheda pariter
assidens omnium vndique oculis ostenditur. Militum ma-
nus cum

SOCRATIS HISTORIAE

nus cum gladiis eos stipat. Inde multitudinis animis terror iniectus est. Omnes itaque ad ecclesias confluunt, & tã illi, qui fidem Consubstantialis, quàm qui Arii dogma tutabantur, ad ecclesiam ire contendunt. Simul ac præfectus vna cù Macedonio Ecclesiæ appropinquabat, ingens certè metus tum multitudinem, tum milites etiam ipsos percutit. Nam quoniam tanta aderat turba, vt nullus transitus præfecto Macedonium deducendi pateret, milites multitudinem violenter trudere cœperunt, atq; cù multitudo ita coarctata esset, vt præ loci angustia secedere non posset, milites illam ex aduerso se illis opposuisse, & sua sponte transitum præfecto interclusisse arbitrati, districtis gladiis in eam impetum facere: acriter ad pugnam incumbere cœperunt. Circiter tria millia hominum, & centum quinquaginta occubuisse fertur: quorum alij à militibus trucidati, alij à multitudine oppressi interierunt. Macedonius verò post tam præclare facta, perinde ac si nihil admisisset mali, sed istorum scelerum integer & innocens fuisset, arbitrio potius præfecti quàm canone ecclesiastico in sede episcopali collocatur. Ad hunc modum igitur Macedonius, & Ariani per tantam hominum cædem ad ecclesiæ gubernationem ascenderunt. Per idem tempus Imperator amplam & magnificam ecclesiam, quæ sapientiæ nomen iam habet, construxit, eiq; ecclesiæ illâ adiunxit, quæ pacis dicitur, quæq; à patre suo, cum antea esset angusta, tum amplificata magnitudine, tum ornatu illustrata fuit. Iam verò ambæ & vno muro cernuntur circumdata, & vno nomine appellantur.

*Quod Athanasius minis Imperatoris exterritus,
Romam iterum confugit. C. A. P. XIII. -*

Eodem tempore alia falsa criminatio contra Athanasium conficta est ab Arianis, qui ad eum accusandum hanc causam conquisuerat. Iam pridem Constantinus frumenti Congiariū ecclesiæ Alexandrinæ ad pauperes alendos suppeditauerat. Istud aiunt Athanasium vendidisse, & ad suum ipsius quæstum conuertisse. Habet fidem illis Imperator: eum minatur morte multaturum. Athanasius, vbi minas Imperatoris rescuerat, se fugæ mandauit: latitauit in obscuro. Tum Iulius episcopus Romanus, cù de iniuriis Athanasio

ab A.

ab Arianis illatis certior factus esset, & literas Eusebij, qui iam mortem obierat, recepisset, Athanasium ubi de loco, in quo occultabatur, audiuerat, ad se accersit. Eodem temporis momento literæ, quas Episcopi Antiochiæ paulo ante congregati miserant, afferuntur. Porro autem aliæ literæ ab episcopis Aegypti ad eum missæ sunt: quæ quidem crimina Athanasio obiecta, perspicuè falsa esse docuerunt. Itaque Julius literis contrariis ad ipsum missis, episcopis qui Antiochiæ conuenerant per literas respondit. Ac primum docet, quantum molestiæ & acerbitalis eorum epistola ipsi attulisset: deinde eos contra ecclesiæ canones egisse, quod illum ad concilium non vocassent: quippe cum canon ecclesiasticus vetet, ne decreta absq; sententia episcopi Romani Ecclesiis sanciantur: tum fidem ab illis clam deprauari: ite, quæ erant iam pridem Tyri peruersè gesta, ea vi ac dolo, propter commentarios quosdam in Mareote ex vna parte solùm malitiosè confectos omnino transacta esse. Quinetiam quæ de Arsenio commenti fuissent, meras calumnias esse manifestò ostendit. Ista, aliaq; eius generis Julius ad episcopos Antiochiæ conuocatos pluribus verbis perscripsit. Hoc locò & epistolas ad Iulium, & eius ad alios infereremus, si non verborum earum longitudo nos ab eo faciendo auocaret. Sabinus erroris Macedoniani propugnator, de quo ià antea mentione feci, quanquã in libro eius, qui rerum in conciliis gestarum collectio inscribitur, epistolam Episcoporum Antiochiæ conuocatorum ad Iulium scriptam minimè prætermisit, epistolas tamen ipsius Iulii in eodem neutiquam intexuit. Verùm istud facere illi in more positum erat. Nam quæcunque epistolæ in conciliis conscriptæ, verbum Consubstantiale vel silentio transiere, vel penitus irritum fecere, eas studiose & diligenter citauit: contrarias autem de industria missas fecit.

*Quòd occidentalium partium Imperator à fratre
petebat, vt ad se mitteret qui de abdicatione A-
thanasij Pauliq; ratione redderent, & quòd qui
missi erant, aliam fidei expositionem secum ad-
ducebant.* CAP. XIII.

NON

SOCRATIS HISTORIAE

NON longo tempore post Paulus Thessalonica decedere, & Corinthum pergere se simulans, recta in Italia proficiscitur. Ibi ille & Athanasius vna, suam ipsorum conditionem Imperatori patefaciunt. Imperator, cuius ditioni partes versus occidentem subiectae erant, illorum iniurias suam ipsius calamitatem statuens, literas ad fratrem dat: perque illas ei significat, ut tres episcopi rationem de Pauli & Athanasii abdicatione reddituri, ad ipsum mittantur, Missi sunt igitur Narcissus Cilix, Theodorus Thrax, Maris Chalcedonius, & Marcus Syrus. Qui, ut accesserant, cum Athanasio noluerunt in colloquium venire: quin etiam fidei decisionem Antiochiae aeditam occultantes, aliam, quam episcopi contextuerant, Imperatori exposuerunt, his fere verbis.

Credimus in vnum Deum, patrem omnipotentem, conditorem & opificem omnium, ex quo omnis paternitas in caelis, & in terra nominatur. Et in vnigenitum filium eius, dominum nostrum, Iesum, Christum, qui ante omnia secula ex patre genitus est: Deum de Deo, lumē de lumine, per quem omnia facta sunt, & quae in caelis, & quae in terra, visibilia & inuisibilia: qui est verbum, sapientia, virtus, vita, lux vera. Qui in nouissimis diebus propter nos incarnatus est, ex sancta virgine natus, Crucifixus, mortuus, & sepultus. Qui resurrexit a mortuis tertia die, Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram patris. Et venturus est in fine seculorum iudicare vivos & mortuos, & reddere unicuique secundum opera sua, cuius regni non erit finis, sed manebit in secula seculorum. Nam sedebit ad dextram patris, non solum dum hoc seculum manet, sed etiam in futuro. Et in Spiritum sanctum, hoc est paraclerum, quem promiserat Apostolis, & post ascensum in caelos misit, ut doceret, & suggereret illis omnia, per quem sanctificabuntur animae illorum, qui verē in eum credunt. Eos autem, qui dicunt, filium ex nihilo constare, aut ex alia substantia, quam ex Dei patris, aut tempus fuisse, cum non esset, ecclesia Catholica a se alienos decernit. Vbi ista Imperatori & multis aliis exposuerant, absque vlla de aliis rebus reddita ratione abscedunt. Porro autem dum adhuc, tum qui Orientem versus, tum qui ad occidentem incolebant, absque discrimine ipsi inter se communicant, Sirmii, quae est ciuitas Illyrij, noua haeresis exoritur. Nam Photinus,

qui

qui ecclesiis ibi præfuit, ex parua Galatia ortus, Marcelli, qui episcopatu abdicatus erat, discipulus, præceptoris ve-
 fugiis insistentis, filium Dei, solum hominem esse affirma-
 uit. Verùm de iis dicam alio loco.

*De fidei expositione, longa verborum ambage
 contexta. CAP. XV.*

Triennii spatio interiecto, episcopi versus orientem,
 concilium denuò conuocant: aliam fidei formulam
 componunt: episcopis Italiae per Eudoxium rû Ger-
 maniciae episcopum, Martyrium, & Macedonium Mopsie-
 stia, vrbis Ciliciae episcopum mittunt. Ista fidei formula
 pluribus verbis conscripta, multas appédices, præter ea, quæ
 in aliis fidei formulis antea comprehensa erant, continuit.
 Hisq; verbis explicata est. Credimus in vnum Deum,
 patrem omnipotentem, conditorem & opificem omnium,
 ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur.
 Et in vnigenitum filium eius, Iesum, Christum, Dominum
 nostrum, qui ante omnia secula ex patre genitus est: Deum
 de Deo, lumen de lumine: per quem omnia facta sunt, &
 quæ in cælis, & quæ in terra, visibilia & inuisibilia: qui est
 verbum, sapientia, virtus, vita, lux vera: qui in nouissimis
 diebus propter nos homo factus est, ex sancta virgine na-
 tus, crucifixus, mortuus, & sepultus. Et qui resurrexit à mor-
 tuis tertia die, ascendit in cælum, sedet ad dexteram patris:
 qui venturus est in fine seculorum iudicare viuos & mor-
 tuos, & reddere vnicuique iuxta opera sua. Cuius regni nõ
 erit finis, sed manebit in infinita secula. Sedebit enim ad
 dexteram patris, non solum dum hoc manet seculum, sed e-
 tiam in futuro. Credimus etiam in spiritum sanctum, hoc
 est in paracletum: quæ Christus promiserat Apostolis post
 ascensum suum in cælum: & quem misit, vt doceret & sug-
 gereret illis omnia. Per quem animæ eorum, qui in eum ve-
 rè credant, sanctificantur. Eos autem, qui asserant, filium, ex
 nihilo ortum, aut ex alia substantia, quàm ex Dei patris, aut
 tempus seculumve fuisse, cum non esset, sancta & catholica
 ecclesia alienos à se decernit. Pari ratione & iis qui tres
 deos esse dicant, vel Christum non esse Deum ante secula,
 vel eum neque Christum neque filium Dei esse, vel patrem
 & filium.

SOCRATIS HISTORIAE

*Sic leg.
Niceph.
H. 9. ca. 11*

& filium & spiritum sanctum eundem esse, vel filium inge-
nitum esse, vel patrem non proposito & voluntate sua filiū,
genuisse, sancta & Catholica Ecclesia anathema denun-
ciat. Neque enim sine errore dici potest, filium ex nihi-
lo constare: quandoquidem istud de eo in literis diuinitus,
inspiratis minimè reperitur. Neque certe illum ex alia,
substantia præter patrem ante subiecta, sed ex solo Deo pa-
tre verè genitum esse didicimus. Etenim verbum Dei do-
cet patrem Christi, vnum ingenitum, & sine principio fu-
isse. Quineriam neque tempus fuisse, cum non esset, tu-
to absque scripturæ testimoniis asserere possumus, quasi té-
porale spatium in eo præcogitandum sit, sed Deum so-
lum qui sine tempore illum genuit, animo complecti de-
bemus. Etenim tempora & secula per illum facta sunt.
Neque præterea quispiam vel pater, vel filius simul absque
principio, simulque ingenitus esse propriè dicetur. Sed
vt patrem solum absque principio esse, incomprehensibi-
lem, & filium genuisse ratione quadam, quæ nec compre-
hendi, nec omnino percipi potest, cognoscimus: sic ipsum,
filium ante secula genitum, & non simili ratione cum patre
ingenitum intelligimus, sed habuisse principium patrem,
qui ipsum genuit. Nam caput Christi Deus. Neque cum
confiteamur tres res, & tres personas, patris nimirum, filij,
& spiritus sancti, secundum scripturas, tres propterea deos
constituimus. Nam in se perfectum & ingenitum, absque
principio, & inuisibilem Deum, vnum solum cognosci-
mus Deum, & vnigeniti filii patrem, qui solus ex se ipso
habet, vt sit, quique solus aliis omnibus rebus abunde lar-
gitur, vt sint. Et cum vnum Deum patrem Domini nostri
Iesu Christi, solum vnigenitum dicimus, non ob eam cau-
sam negamus Christum Deum esse ante secula: in quo er-
rore versabantur, qui à Paulo Samosateno hæresis suæ ori-
ginem duxerunt, affirmâtes illum post incarnationem suam
ex profectu Deum factum esse, cum natura homo solum &
simpliciter esset. Scimus enim illum, quamuis patri & Deo
subijciatur, tamen Deum ex Deo secundum naturam ge-
nitum fuisse, perfectum & verum esse, & non ex homini-
bus postea Deum factum, sed Dei patris voluntate propter
nos incarnatum, & nunquam amisisse, vt Deus esset.

Præterea illos detestamur, anathemateque multandos du-
 cimus, qui eum solum ac simplex verbum Dei, & substantia
 carere, sed in altero esse commentitia ratione asserant: &
 modò tanquam ex ore prolatum, modò tanquam in mente
 alicuius inclusum, à quibusdam appellatù dicant. Ipsum au-
 tem Christù & dominù & filiù Dei, & mediatorem, & ima-
 ginem Dei non fuisse ante secula statuunt: sed ex eo tem-
 pore illum Christum & filium Dei fuisse, ex quò nostram
 carnem ex virgine ante quadringentos annos integros as-
 sumpfit. Nam ab illo tempore regnum Christi principium
 habuisse volunt, & post mundi consummationem & iudi-
 cium, finem habiturum. In quo errore sunt, Marcelliani,
 Photiniani, Ancyrogalatiani: qui quidem tum Christi es-
 sentiam & diuinitatem, quæ fuit ante secula, tum regnum
 eius similiter, quod sine caret, propterea improbant, quòd
 monarchiam constituere præ se ferant. Verùm nos, eum
 non verbum simpliciter prolatum, aut in Dei patris quasi
 mère insitum, sed verbum viuens, Deum, qui per se ipse ex-
 istit, & filium Dei & Christum esse: & non simul cum pa-
 tre suo ante secula per solam præscientiam fuisse, & verfa-
 tum esse, & ad omne opificium illi inferuisse, rerum siue vi-
 sibilium, siue inuisibilium, sed cum patre verbum verè ex-
 titisse, & Deum ex Deo fuisse. Hic enim est, ad quem di-
 xit pater: faciamus hominem ad imaginem & similitudi-
 nem nostram: qui antiquis patribus propria persona appa-
 rens, legem dedit: qui etiam per prophetas locutus est: &
 ad extremum homo factus, suum ipsius patrem omnibus ho-
 minibus patefecit: qui regnat in infinita interminataque
 secula. Neque enim Christum nuper suam dignitatem ac-
 cepisse, sed ab omni æternitate ipsum perfectum, & patri
 per omnia similem esse credimus. Illis autem, qui dicant, pa-
 trem, & filium, & spiritum sanctum eundem esse, & tria no-
 mina in vna re & persona impiè intelligant, non sine causa
 ecclesia interdiximus, quòd patrem qui nec comprehendi,
 nec pati queat, per incarnationem posse & comprehen-
 di & pati statuunt. Cuius generis sunt, qui patropassio-
 ni apud Latinos, apud nos autem Sabelliani dicuntur.

Dei:
 Sic lege
 Niceph. li
 bro 9. ca.
 11.

At nos scimus patrem, qui misit filium suum, in propria im-
 mutabilis diuinitatis suæ natura permansisse: Christum aut

missum.

SOCRATIS HISTORIAE

missum, incarnationis œconomiam expleuisse. Pari ratione, eos, qui impiè & nefariè dicant, Christû neq; cõcilio neq; voluntate patris genitum esse, necessitatem scilicet & substantiam, concilij & liberi arbitrii expertem, Deo patri attribuentes, sic vt filium inuitus genuerit, execrabiles in primis & à veritate alienissimos iudicamus: tum quod contra cõmunes, quæ de Deo extant notiones, tum quod contra sententiam ac sensum scripturæ diuinitus inspiratæ, eiusmodi dogmata de illo audeant statuere. Nos autem Deum, & sui ipsius iuris & arbitrii esse cognoscimus: & sancte religioseque existimamus illum sponte & voluntate sua filium genuisse. Credimus etiam, idq; piè, illud quod de eo dicitur: Dominus creauit me initio viarû suarum, ad opera sua: non tamen ita creatum esse, vt alias creaturas, & res ab eo fabricatas intelligimus. Nam istud impium est, & à fide ecclesiastica penitus auersum, conditorem operibus ab eo conditis assimilare, & illum eundem generandi modum habuisse, quem res ab eius natura prorsus diuersæ habuerunt, arbitrari. Etenim sacræ scripturæ vnum & solum filium vnigenitum, ingenuè & verè genitum nos docent. Quinetiam cum filium per se esse, & viuere & existere simili ratione cum patre dicamus, non tamen propterea illum à patre separamus, & locos quosdam interuallaq; inter illorum cõiunctionem, & cohærentiam corporeo more cogitatione informamus, nam credimus eos nulla intercapedine, aut spatio interposito cohærere, & à se neutiquam posse separari, ita vt pater totum filium suo quasi sinu complectatur, & filius toti patri annectatur, omninoq; adhæreat, inq; solo paterno gremio perpetuo conuiuescat. Credimus ergo in trinitatem perfectam sanctissimamq;: ac cum patrem Deum, & filium Deum dicimus, non tamen duos deos, sed vnum esse confitemur, pari diuinitatis amplitudine, & vna perfecta regni coniunctione: & sicut pater principatum cum in res vniuersas, tum in ipsum filium obtinet, ita filium patri subijci, & extra ipsum patrem, omnia à se fabricata proxime & secûdum illum gubernare: quinetiam spiritus sancti gratiam patris voluntate affatim sanctis tribui. Hoc modo namq; eloquia sacra nobis tradiderunt de monarchia, quæ est in Christo, orationem instituendam esse. Post breuem illam & cõ-

pen-

pendiariam fidei formulam, ista vberius diffusiusque explanare coacti sumus, nō vt inani & arroganti contentione di gladiaremur, sed vt omnem suspicionem de nostro iudicio & opinione animis hominum, qui nos penitus ignorant, in iectam, tanquam alienam à nobis remoueremus: quinetiam vt omnes, qui versus occidentem habitant, non solum impudentes eorum calumnias, qui contrariam opinionem tumentur, verum etiam ecclesiasticam & Christianam episcoporum orientem incolentium doctrinam, ex sacris diuinitusque inspiratis scripturis, quas ipsi peruersè interpretantur, ratione facili & minimè contorta confirmatam pro certo intelligant. Ista episcopi qui partes versus occidentem accolebant, tum quod linguæ Græcæ ignari erant, tum quod ea propter eandem causam non intelligebant, neutiquā recipere, sed fidem in concilio Nicæno stabilitam satis esse, nihilq; vterius curiosè vestigandum dixerunt.

De Sardicensi Consilio.

C. A. P. XVI.

CVM Imperator denuò scripsisset, vt Paulo & Athanasio sua ipsorum loca ac sedes restituerentur, nihilque proficeret (intestina namq; seditio multitudinem sine intermissione implicatam tenuit) Paulus & Athanasius aliud concilium cogi postulant: vt cum de eorum rebus, tum de fide in concilio generali cognosceretur: docentq; se abdicatos fuisse, quo ipsa penitus labefactaretur fides. Edicitur ergo concilium generale, vt omnes Sardicam cōmeent (est autem hæc ciuitas Illyrij) idq; de sententia duorū Imperatorum, alterius per literas illud flagitantis, alterius qui in oriente regnabat alacri & parato animo eisdem obtemperantis. Vndecimo anno post mortem patris duorum Augustorum, Ruffino & Eusebio Cofs. Concilium Sardicense coactu est. Episcopi circiter trecenti, qui versus occidentem habitabant, vt ait Athanasius, eo conueniunt. Ex episcopis autem, qui orientem incolebāt, vt Sabinus narrat, solum septuaginta sex (in quorum numero fuit Ischyas Mareotis episcopus, quem illi qui Athanasium abdicabant ad episcopatū illius loci delegerant) Sardicam aduentant.

SOCRATIS HISTORIAE

Nam alii corporis infirmitatem causantur: alij de temporis praestituti queruntur angustia, culpamque illius rei in Iulium Episcopum Romanum conferunt, cum tamen ex eo tempore quo tum concilium aeditum fuerat, tum Athanasius concilium expectans Romae commoratus erat, annus & sex menses iam praeteriissent. Postquam igitur Sardicae conuenerant episcopi orientis, in conspectum episcoporum occidentem incolentium venire noluerunt: dixeruntque se non alia conditione in colloquium cum illis venturos, nisi Athanasium & Paulum e conuentu expellerent. Verum ubi Protogenes Sardicensis episcopus, & Osius episcopus Cordubae (est haec quidem ut supra dixi, ciuitas Hispaniae) minimè ferebant, ut Paulus & Athanasius abessent, episcopi orientales confestim decedunt: cumque ventum esset ad urbem Philippi, quae est in Thracia, priuatum inter ipsos concilium constituere: de caetero aperte verbum Consubstantiale anathemate damnare: opinionem quod filius patri dissimilis esset, per literas scriptas ubique disseminare ceperunt. Episcopi autem Sardicae coacti, primum istos indicta & deserta causa condemnare: Deinde Athanasii accusatores dignitatis gradu dimouere: tum fidei Nicenae decisionem constabilire, opinionemque, quod filius esset patri dissimilis, prorsus explodere. Postremo verbum Consubstantiale multo notius & illustrius efficere. Nam literas scribunt illi quoque de ea re, & passim ad omnes mittunt.

Quare utrique se recte fecisse arbitrati sunt, episcopi orientis, propterea quod occidentis episcopi eos recepissent, qui ab illis erant abdicati: occidentis autem episcopi, tum quia illi, qui eos abdicauerant ante causae cognitionem abscesserant, tum quia ipsi fidem Nicenam tenebant, illi verò euertere non dubitarant. Sedes igitur Paulo & Athanasio reddunt: itemque Marcello episcopo Ancyrae urbis paruae Galatiae: qui quidem iam pridem, uti in primo libro commemorauimus, abdicatus fuerat, tum autem sententiam contra se ante pronuntiatam pro viribus impugnare laborauit, docuitque sermonis & loquendi modum, quo liber scriptus erat, non intellectum esse, & propterea se in suspicionem opinionis Pauli Samosatani vocatum. Sed tamen illud à nobis minimè ignorari debet, Marcelli librum ab Eusebio

Eusebio

sebio Pamphilo, qui contra illum differebat tribus libris quos contra Marcellum inscripsit refutatum esse: verbaque ipsius Marcelli ab eo citata: quæ quidem & oppugnare contendit, & docet Marcellum non aliter quàm Sabellium Afrum, & Paulum Samosatenum, Dominum Iesum, solum hominem induxisse.

Pro Eusebio Pamphili Apologia.

CAP. XVII.

Quoniam autem nonnulli ipsum Eusebium Pamphilum in libris, quos edidit, tanquam Arii errori fauentem, contumeliis vexare aggressi sunt, non incommodum arbitror pauca de illo disserere. Primum enim concilio Nicæno de Consubstantiali, decidenti, & interfuit, & assensus est. In tertio verò libro quem de vita Constantini conscripsit, ista de illo concilio his ferè verbis ipse commemorat: Imperator omnes ad concordiam eatenus reducere contendit, quoad eos in omnibus rebus, quæ in quæstionem aliquando venissent, tum conspirantes animis, tum opinionibus consentientes reddidisset, ita vt concors fides inter eos vigeret. Quod si igitur Eusebius, dum concilii Nicæni coacti mentionem facit, omnia quæ in controuersiam venerant soluta esse dicat, omnesque in eadem sententia & opinione fuisse, quid est cur quidam illum in Arii hæresin propendisse existiment. Quinetiam Ariani ipsi falluntur opinione, dum eum cum ipsis sentire arbitrantur. At dixerit quispiam, illum in libris suis partibus Arii propterea videre fauere, quod percrebrò in eisdem hoc modo loquatur, Per Christum. Cui respondemus, quòd hoc loquendi modo, alijsq; item nonnullis, qui œconomiam humanitatis seruatoris nostri exprimunt, sæpenumero tum alij scriptores ecclesiastici vsi sunt, tum Apostolus ipse, qui nunquam peruersæ cuiusquam opinionis magister existimatus est, ante istos oēs eadè verba vsurpauit. Porro aut quæ fuerit Eusebij sententia opinioq; cù Arius filiū creaturam, tanquàm vnā ex aliarum creaturarum numero esse diceret, hoc loco accipito: qui in primo libro cōtra Marcellū sic loquitur. Vnigenitus Dei fili⁹ solus ille, & nō alius & prædicatur, & est.

SOCRATIS HISTORIAE

Vnde meritò reprehendendi sunt hi, quos non pudet, eum ,
 creaturam asserere, & pari ratione cum aliis creaturis ex ni- ,
 hilo ortum esse. Quo modo enim filius erit, aut qua ratione ,
 vnigenitus Dei, cum eandem cum cæteris creaturis habeat ,
 naturam, vnusque sit ex plebeiòrum mortalium numero: vt- ,
 pote qui similiter cū illis ortus sit, & creationis quæ ex his ,
 quæ non sunt particeps, factus? Verùm non ita de illo sacra ,
 tradunt eloquia. Paulò post etiam adiungit. Quisquis igitur ,
 filium ex nihilo genitum, & præcipuam creaturam ex ni- ,
 hilo ortam eum statuit, nomen solum filii ille quidem im- ,
 prudens ei largitur, sed filium reuera esse denegat. Nam qui ,
 ex his, quæ non sunt, genitus sit, verè filius Dei esse non po- ,
 terit: quandoquidem neque aliud quicquam, quod sit gene- ,
 ratum. Verè autem filius Dei ex ipso patre genitus, reuera ,
 vnigenitus & dilectus patris appellandus est. Sic quoque ,
 Deus erit. Quid enim est aliud Dei germen, quàm id quod ,
 genitori simile sit. Condit quidem rex urbem, sed urbem ,
 non gignit: atque filium gignere, non condere dicitur. ,
 Quinetiam operis, quod ab eo fabricatur, non pater, sed ar- ,
 tificiosus opifex: filii autem ab eo geniti non opifex, sed pa- ,
 ter dicitur. Atqui ille qui vniuersitatis Deus est, filij qui- ,
 dem pater, sed mundi conditor & effector meritò dicitur. ,
 Ac licet semel in quodam scripture loco reperiatur dictum ,
 esse: Dominus creauit me initio viarum suarum ad opera ,
 sua, sermonis tamè illius sensum (quem quidem paulo post ,
 explanabo) debemus accuratè expendere, & non vt Marcel- ,
 lo placet, vno verbo præcipuum ecclesie dogma conuul- ,
 sare. Istà aliq; eius generis complura ab Eusebio in primo ,
 libro contra Marcellum disputata sunt. In tertio autè, quo ,
 pacto hæc vox, CREATURA sit intelligenda, docet his ver- ,
 bis. Istis quidem hoc modo constitutis, sequitur etiã hanc ,
 sententiam, Dominus creauit me initio viarum suarum ad ,
 opera sua, non aliter capiendam esse, atque ea omnia, quæ ,
 ante exposuimus. Quod si dicat seipsum creatum esse, nõ ,
 ita dicit perinde ac si ex eo, quod non est, ad id quod est ,
 transierit, ipseque simili ratione cum reliquis creaturis, ex ,
 eo, quod non est, factus sit (sicut quidam peruersè existima- ,
 runt) sed quod substantiam habuerit, vixerit, & ante mun- ,
 di fabricationem fuerit & extiterit, atque adeo à patre suo ,
 omnium

Prou. 8.

omnium domino huius vniuersitatis princeps constitutus
 sit: vt hoc verbum creauit, hoc loco pro, constituit, vel or-
 dinauit, capiatur. Quin Apostolus Petrus principes ac du-
 ces, qui hominibus præsumt, creaturam planè nominat, his
 verbis: Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter do-
 minum, siue regi, quasi præcellenti, siue ducibus, tanquã per
 eum missis. Et propheta etiam, Paratus inquit esto ad in-
 uocandum Deum tuum Hierusalem: propterea, quod ecce
 firmans tonitruum, & creans spiritum annunciat homini-
 bus Christum suum. Hoc verbum, CREANS, non accipit,
 perinde ac si spiritus ex eo, quod non est, factus sit. Non e-
 nim tum creauit Deus spiritum, quando Christum suum per
 illum omnibus hominibus annũciauit (non enim tum re-
 cens sub sole ædebat, sed ante fuerat extiteratque) verum
 ipsum misit, quo tempore Apostoli erant in vnum congre-
 gati: quando sonus, instar tonitruum de cœlo factus est, tan-
 quam aduenientis spiritus vehementis: & repleti sunt spi-
 ritu sancto: atque hoc pacto omnibus hominibus Christum
 Dei annunciauit iuxta prophetiam, quæ dixerat, propterea
 quod firmans tonitruum, & creans spiritum, annunciat ho-
 minibus Christum suum, hac voce, Creans, pro hoc verbo
 mittens, vel constituens, posita: Vox autem, tonitruum, alia
 quadam ratione prædicationem euangelii significat. Da-
 uid item, cum sic loquitur: Cor mundum crea in me Deus,
 non hoc dixit quasi corde carens, sed puram mentem in se
 ingenerari perficique optat. Eadem ratione dicitur etiam il-
 lud: vt duos in vnum nouum hominem, crearet, id est con-
 iungeret: vide item illud, num sit eiusdem generis: induere
 nouum hominem, qui est secundum Deum creatus. Et istud,
 si qua igitur in Christo noua creatura: & si quæ alia in scri-
 pturis diuinitus inspiratis diligenter peruestigandis de ge-
 nere eodem reperire poterimus. Ne mireris igitur, si per
 translationem in hac sententiã loquatur scriptura: Domi-
 nus creauit me initio viarum suarum: Creauit, hoc est con-
 stituit, vel ordinauit. Ista Eusebius in libris contra Mar-
 cellum differuit, nos autem eadem citauimus, vt illis qui ei
 temere obtrectare, contumelioseque detrahere laborarint,
 responsum sit. Nam non possunt ostendere Eusebium, li-
 cet vocabula dispensationis, in eius libris vsurpata repe-
 riant,

1. Pet. 2.

Act. 2.

Psal. 50.

SOCRATIS HISTORIAE

riant, filio Dei initium essentiae tribuisse: praesertim cum scriptorum Origenis & aemulus, & admirator extiterit. In quibus illi, qui abstrusum & reconditum librorum Origenis sensum eruere potuerint, passim scriptum inuenient, filium a patre genitum fuisse. Atque ad ista quidem, nostra deflexit oratio, quo Eusebii obtrektoribus respondere-
mus.

*Quod Concilium Sardicense cum thronum suum Athanasio, Itemque Paulo reddidisset, ac Orientalis partem Imperator Constantius eos non admitte-
ret, Imperator occidentis bellum illi interminatus est, quod metuens Constantius accersitum per epistolas Athanasium Alexandriam mittebat.*

CAPVT XVIII.

Episcope tum qui Sardice, tum qui Philippi urbis Thraciae conuenerant, conciliis separatim conuocatis, rebusque, quae utrisque videbantur constitutis, ad suas ipsorum ciuitates reuerterunt. Ecclesia igitur versus occidentem, ab ecclesia, quae erat in oriente dissensione distracta fuit. Terminus autem, quo illorum erat distincta communio, mons inter Illyrium & Thraciam interiectus, qui Tifucis dicitur, constitutus est: ad quem quidem usque omnes inter ipsos, licet fide dissentientes, discrimine penitus remoto, communicarunt. Vtlerius vero nulla inter eos fuit communio. Talis quidem perturbatio atque confusio statum ecclesiae id temporis occupauit. Statim vero post Imperator, qui partium ad occidentem vergentium dominabatur, ea quae in concilio Sardicensi acta erant, fratri suo Constantio significat: hortaturque; ut Paulum & Athanasium ad proprias sedes restituendos curet. Vbi autem Constantius fratris postulata de die in diem differebat, ille, imperatorem dico, occidentis, optionem fratri dat, vel Paulum & Athanasium ad suas ipsorum sedes, ecclesiasque restituendi, vel si hoc minus praestaret ipsum sibi hostem reddedi, nihilque aliud quam bellum expectandi: literae autem, quas ad fratrem scripsit ita se habent. Sicut hic apud me Athanasius & Paulus: quos auditione accepi pietatis causa persecutionem passos esse. Quod si pol-
liciare

*Susacis
apud Ni-
ceph. dicitur
lib. 9.
cap. 13.*

liciare te illis suas ipsorum sedes redditurū, inq; eos, à quibus sine causa iniuria affecti sunt, animaduersurum, viros ipsos ad te mittam: sin autem recuses ista hoc modo perficere, pro certò velim cognoscas, me eo venturum, & te inuito illis suas ipsorum sedes restitutum. Quæ cum intellexisset orientis Imperator, non mediocrem animo cepit ægritudinem. Accersitis igitur non paucis orientis episcopis, optionem sibi datam illis exponit: rogat, quid faciendum sit. Illi melius esse respondent, vt Athanasio ecclesiæ suæ concederet administrationem, quàm vt bellum intestinum susciperet. Vnde Imperator necessitate adductus, Athanasium ad se accersit. Interea temporis Constās occidentis Imperator, Paulum cum duobus episcopis, cum literis suis, cumq; literis etiam cōciliij, quo tutior esset, honorificè Constantinopolim mittit. Cū Athanasius adhuc extimesceret animoq; ad Constantium, nec ne proficisceretur hæsitaret (metuebat namque falsas calumniatorum eriminationes) Constantius orientis Imperator, illum non semel modò, verum etiam iterum ac tertio ad se acciuit: quemadmodum literæ eius quas ex latino sermone in Græcum conuertimus, satis declarât, ad hunc modum.

Epistola Constantij ad Athanasium.

Constantius, victor, August. Athanasio Episcopo, S.

Dutius te, tanquam turbulentis ac seuis maris fluctibus iactari agitariq; singularis nostra clementia non patitur. Te patrio lare orbatū, spoliatum fortunis per deuia itinera, & periculosa oberrare, pietas, quam nos perpetuo colimus, non finit. Quamuis sensa mentis meæ diu admodum ad te propterea scribere distulerim, quod expectabam, te tua sponte ad nos aduēturum, & rerum aduersarum, quibus afflictabaris, remedium petiturum, tamē cum metus fortasse tuū institutum remoraretur, ob eam causam literas benignissimas ad tuā grauitatem misimus, vt quam primum in nostrum conspectum venire contenderes: quo tum tuum ipsius desiderium expleres, tum nostrā expertus clemētiam, tuis sedibus ac fortunis restitueris. Nam huius rei gratia dominum & fratrem meum Constantem victorē, Augustū, pro te rogavi, vti potestatem tibi faceret ad me accedendi, quo

SOCRATIS HISTORIAE

quo vtriusque nostro subsidio patriam recuperare, hocque tanquam pignus nostrae in te beneficentiae habere posses.

*Alia Epistola ad ipsum magnum
Athanasium.*

*Constantinus, victor, Augustus, Athanasio
Episcopo, S.*

Q Vanquam per superiores literas, tibi apertissime significauimus, ut animo securo ad nostrum comitatum accederes, propterea quod in animo erat te ad tuam sedem mittere, tamen has literas etiam tuae grauitati dedimus, uti publico vehiculo conscenso, ad nos absque omni difficultate ac timore aduentare properes, quo rebus, quarum cupiditate duceris, mature potiri queas.

*Alia Epistola ad eundem magnum
Athanasium.*

*Constantinus, victor, Augustus, Athanasio
Episcopo, S.*

D V M Edessae verfabamur, praesentibus tuis presbyteris, visum est vnum presbyterum ad te mittere, ut ad nostrum comitatum accedere maturares, quo simul accenires in nostrum conspectum, absque mora Alexandriam recta pergeres. Verum quoniam multum iam temporis praeteriit, ex quo nostras accepisti literas, ad nos tamen venire distulisti, propterea te etiam nunc denuo in memoriam redigere decreuimus, ut absque cunctatione ad nos accedere festines, sicque & patriae restitui, & quod tibi in optatis est, assequi possis. Et quo plenissime de omnibus rebus certior fias, Achetam diaconum ad te misimus, a quo poteris discere, & quid nos animo instituerimus, & quod tu, ea quae expetis, ex animi sententia consecuturus sis. Ista epistola ubi Athanasius in Aquileia (Sardica enim digressus, ibi comorabatur) acceperat, Romam cum festinatione contedit: literas ostendit Iulio episcopo: Romanam ecclesiam maxima afficit laetitia. Nam Constantius orientis Imperator propterea videbatur illorum de fide opinioni assensurus, quod

Atha-

Athanasium ad se accersuerat. Iulius verò Clero & populo Alexandrino hæc de Athanasio per epistolam significavit.

Iulij Episcopi Romani ad Clerum & populum Alexandrinum Epistola.

Iulius Episcopus, presbyteris, diaconis, & populo Alexandriã incolenti, dilectis fratribus, in Domino salutem.

Vobis equidem vehementer gratulor fratres charissimi, quod fructum fidei vestræ iam deinceps oculis cernere possitis. Istud enim in fratre & collega meo Athanasio verè perspici queat: quem cum ob synceram & piã viuendi rationem, tum ob vestras preces Deus vobis restituit. Ex hac re etiam poterit intelligi, quàm puras preces, quanque plenas charitatis semper ad Deum fuderitis. Nam cum promissionum Cœlestium, & amoris erga illas ipsas, quem à fratre meo prædicto didiceratis, vobis in mentem veniret, verè intellexistis, & per fidem illam rectam, quæ in vestris mentibus penitus infederat, exploratè cognitum habuistis, Athanasium, quem in vestris piis animis tanquam præsentem semper continuistis, non in perpetuum à vobis seiunctum iri. Quare mihi ad vos literas perscribenti multis verbis non est opus. Nam quæcunque à me dicuntur, eã vestra fides quasi præoccupauit, & quæ communiter à vobis omnibus optata erant, per Christi gratiam cumulate expleta sunt. Vobis idcirco gratulor (vt secundò idem repetam) quòd animos vestros adeò firmè in fide continuistis, vt ab ea nullo modo deturbari potuissent. Quinetiam fratris meo Athanasio non minus gratulor, quod quamuis multas res asperas perpessus sit, vestræ tamen charitatis & desiderij nihilominus horas ferè singulas recordatus est. Nam quâquam corpore ad tempus videbatur à vobis abstractus, spiritu tamen semper tanquam vna vobiscum ætatem degit. Atque omnes res aduersas, quas expertus est, fratres charissimi, sua laude minimè carere arbitror. Etenim hoc modo cum vestra, tũ ipsius fides apud omnes plene perspecta, exploratâque est. Nam si tam grauis casus illum nõ afflixisset, quis

SOCRATIS HISTORIAE

quis vnquam credidisset, vel tam stabile iudicium in vestris
 animis infedisse, tanquam charitatis ardorem erga tam egre-
 gium episcopum incensum esse, vel illum tam præclaris vir-
 tutibus præditum, ob quas spei, quæ est nobis in cælis repo-
 sita particeps fiet. Quamobrem cum in præfenti, tum in fu-
 turo seculo, eximium confessionis testimonium omnino
 est consecutus. Nam multas calamitates, variis modis, ter-
 ra marique expertus, omnes Arianæ factionis insidias quasi
 pedibus conculcauit. Ac sæpenumero inuidiæ causa in vi-
 tæ periculum per aduersarios insidiosè coniectus, mortem
 contempsit ille quidem: sed tamen Dei omnipotentis, & do-
 mini nostri Iesu Christi auxilio euasit incolumis: vnde spè
 animo concepit se tum hostium insidias deuaturum, tum
 vobis ad vestrorum animorum solatium tandem fore resti-
 tutum, quo ex vestra recte factorum conscientia vna vo-
 biscum illustrissima trophæa reportaret: Quibus sanè ad
 extremas vniuersæ terræ oras eximiè nobilitatus est: certissi-
 maque vitæ præclarè actæ indicia omnium oculis subiecit,
 quippe qui non modò fidei suæ professionem & doctri-
 nam cælestem sit liberè tutatus, verùm etiam iudicio certo
 & quasi immortalis vestrum singularem erga ipsum amorem
 perspicuè declarauit. Quocirca maiore splendore, quam
 cum à vobis decessit, illustratus ad vos reuertitur. Quod
 si eximiè & præciosæ materiæ puritatè, vt auri argètiue, ignis
 exquisitè exploret, quid de tam excellenti viro pro digni-
 tate dici poterit, qui post tam ardentia afflictationum incen-
 dia restincta, post tam grauiâ pericula superata, iam vobis
 restitutus sit, innocensque non à nobis solum, sed ab vni-
 uerso concilio declaratus. Athanasium igitur vestrum epi-
 scopum, Fratres Charissimi, vna cum istis, qui earundè cum
 eo calamitatum participes fuere, cum omni diuino honore
 & lætitiâ excipite. Lætamini votorum facti compotes, qui
 vestrum pastorem vestræ pietatis, esurientem sitientemque
 vestris literis salutaribus, dum aberat, nutriuistis, & quasi po-
 tastis. Nam eo pacto, dum in exteris & peregrinis regio-
 nibus versabatur, ei permagno fuistis solatio: & dum per-
 secutionis procellis iactatus, insidiisque appetitus erat, fi-
 delissimis vestris aduersus illum animis studiisque, eius do-
 lorem magnopere leniuistis. Mihi autem iam cogitanti,
men-

menteq; præcipiente, tum cuiusque vestrum de eius reditu
 lætitiã, tum multitudinis occurfationes pietatis plenissi-
 mas, tum honorificum hominum confluentium, quasi fe-
 stum, tum quis & qualis nam ille dies, quo frater meus ad
 vos reuertetur, futurus sit, maxima sane se offert oblectatio:
 præfertim cum & diffensionēs, quæ ante extitere, conque-
 uerint, & honorificus eius ex animi sententia reditus, om-
 nes incredibili quadam lætitiã affecerit: quæ quidem læti-
 tiã propter suam ipsius magnitudinem ad nos etiam, quibus
 cœlitus donatũ est, vt in huiusmodi viri notitiã veniremus
 permanauit. Rectũ igitur videtur, vt cũ precatione finẽ epi-
 stolæ faciamus. Deus Omnipotēs, & eius filius, Dominus &
 seruator noster Iesus Christus perpetuã suam gratiam vobis
 suppeditet, præmiũq; vestræ eximie fidei, quã tã illustri te-
 stimonio aduersus Episcopum vestrũ declarastis, benignus
 largiatur: vt cum vos, tum posteros vestros, tũ hic, tum in fu-
 turo seculo multo præstabiliora præmia maneant, quæ nec
 oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascende- *1. Cor. 2.*
 runt, quæ præparauit Deus diligētibus se, per dominum no-
 strum Iesum Christũ, per quem omnipotenti Deo gloria in
 omnem æternitatem, Amen. Vos fratres charissimi, opto va-
 lere plurimũ. His literis fretus Athanasius in orientem pro-
 ficiscitur. Constantius Imperator quanquã illum tum qui-
 dem non inuito animo excepit, tamẽ callide ab Arianis sub-
 monitus, eum fallaciter ludificari aggreditur. Sic illum affa-
 tur: Etsi sedem Episcopatus tui, tum concilij decreto, tũ no-
 stra approbatione recuperasti: tamen quoniam sunt Alexan-
 driæ nõnulli è populo, qui à tua cõmunionẽ disiuncti sunt,
 vnã ecclesiã in ciuitate illos retinere permittas velim. Ad
 quod postulatũ Athanasius acute respondet. O Impera-
 tor, inquit, in tua situm est potestate, vti ea, quæ lubitum fu-
 erit cum imperes, tum exequare, ipse etiã aliud beneficij lo-
 co abs te peto postuloq; quod mihi largiaris velim. Quod
 vbi Imperator alacri & prompto animo se daturum promi-
 serat, adiũgit illico Athanasius: peto, inquit, vt illud ipsum
 abs te impetrem, quod tu à me impetrare voluisti: nimi-
 rum vt in singulis ciuitatibus his, qui à cõmunionẽ A-
 rianorum se ipsi secreuerunt, vna ecclesia tribuatur. Aria-
 ni igitur, vt Athanasii sententiam nõn incommodam esse
 intelle-

SOCRATIS HISTORIAE

intellegerant, tametsi eam rem in aliud tempus differendam dicebant, Imperatori tamen quo minus, ea quæ sibi videbatur, obiret, neutiquam fuere impedimento. Quapropter Imperator Athanasio, Paulo, & Marcello, quinetiam Asclepæ Gazæ episcopo, & Lucio episcopo Adrianopolis proprias ipsorum sedes restituit. Isti duo posteriores etiam à concilio Sardicensi admisi erant: Asclepas quidem, quod commentarios ostenderat, ex quibus constabat Eusebium Pamphilum cum aliis nonnullis, tū eius causam diligenter cognouisse, tum ei proprium dignitatis gradum reddidisse: Lucius autem, quod eius accusatores aufugerant. Mandata igitur Imperatoris ad proprias cuiusque illorum ciuitates exiuerunt, quibus erat imperatum, ut illos prompto ac parato animo reciperent. Ancyre igitur, quoniam Basilius erat exturbatus, Marcellusq; in eius locū venerat, non exiguus tumultus concitatus est: qui quidem illis qui aduersariam opinionem tuebantur ansam præbuit ad Marcello obtrectandum. Ciues Gazæ Asclepam libenter exceperunt. Constantinopoli autem Macedonius Paulo ad tempus locum concessit, & in ecclesia quadam ciuitatis separatim conuentus fecit. Pro Athanasio verò imperator ad Episcopos, Clericos, & populum Alexandrinum scripsit literas, ut illum libentibus animis reciperent. Quinetiam per alias literas iussit, ut ea, quæ in iudiciis contra eum acta fuissent, penitus delerentur. Literæ de vtraque re perscriptæ, sunt hæ.

Constantij Epistola pro Athanasio Episcopo.

*Victor, Constantius, Max. August. Episcopis &
presbyteris Ecclesiæ Catholicæ, S.*

AThanasium episcopum cum primis venerandum, gratia & benignitate Christi neutiquam certè destitutum, fuisse constat: sed quanquam ad exiguum temporis, spatium hominum iudicia, quibus in eum iniquè inquisitum erat, subiit, tamen à diuina prouidentia omnium rerum, contemplatrice, iustam debitamq; reportauit sententiam, Deiq;

Deiq; voluntate & nostro iudicio cum patriam, tum eccle-
 siã, cui nutu diuino præfectus fuisset, recuperauit. Cui qui-
 dem à nostra clementia, quæ rationi sunt conuenientia, sup-
 peditari debent, vsq; adeo uti omnia, quæ ante hac contra
 eos, qui cum illo cõmunicarint, decreta decisaq; sint, iã ob-
 liuione penitus obruantur: omnisq; suspicio, quæ in eũ cõ-
 mota sit, deinceps tollatur, & Clericis eius, ut par est, confir-
 metur immunitas, qua iam olim donati fuerint. Quinetiam
 nostro in illum collato beneficio illud adiungendum puta-
 uimus, nimirum, ut omnes, qui in sacrum Cleri numerum
 cõtutumq; ascripti sunt, intelligãt securitatem omnibus, qui
 illi adhærescunt, siue episcopi, siue Clerici illi fuerint, esse
 donatam. Atque satis magnum rectæ cuiusque voluntatis
 & instituti indicium fuerit, firma cum isto consensio. A no-
 bis igitur imperatum est, ut qui meliori iudicio & opinio-
 ni addicti, istius communionem amplexãtur, omnes eodem
 modo iam per nostram voluntatem, quo antea per diuinam
 prouidentiam, Dei beneficentia illis delata perfruantur.

Alia Epistola missa ad Alexandrinos.

*Victor Constantius, Max. Augustus, populo Catho-
 licæ Ecclesiæ Alexandrinæ, S.*

QVonia rectam vestri gubernationem, nobis tanquam
 scopum ad intuendum, semper proponimus, explora-
 teq; perspectum habemus, vos Athanasio episcopo vi-
 ro cum propter rectum animi sui iudicium, tum propter spe-
 citatos & commodos mores eximio, diu iam destitutos fu-
 ille, idcirco eum ad vos denuò mittere decreuimus. Istum
 igitur pro vestro consueto more honorificè excipite, inque
 vestris ad Deum precibus fundendis, eum tanquam adiuto-
 rem adiungite: Concordiam & pacem tum accommoda-
 tam vobis ipsis, tum nobis gratam exceptamq; perpetuo, si-
 cut sacrosancta ecclesiæ instituta postulant, conseruare labo-
 rate. Nam non est consentaneum, ut vlla discordia seditio-
 ne inter vos concitata, prosperum rerum statum, qui nostris
 iam viget temporibus, aliqua ex parte perturbet. Istud ma-
 lum à vobis omnino abesse cupimus, hortamurq; vos, Cha-
 rissimi

H

SOCRATIS HISTORIAE

rissimi Alexandrini, vt Athanasio in precationibus vestris, quibus diuini numinis opem (vt vestri moris est) imploratis, semper vt antistite, & vti supra diximus, adiutore vtamini, quo illo vestro instituto ex omnium voto & sententia, succedente, gentes, quæ simulachrorum colendorum errore adhuc teneantur irretitæ, ad sacrosanctæ nostræ religionis professionem propensa admodum animorum voluntate contendant. Quinetiam illud vobis suademus, vt in his, quæ ante commemorauimus, perseueretis & episcopū Dei decreto, & nostra sententia ad vos missum, lubenter excipiat, omniq; animi cogitatione studioq; complectendum existimetis. Nam certum est, hoc & vobis aptum, & nostræ benignitati consentaneum esse. Atque vt illis, quorum animi sunt maleuolentia suffusi, omnis tergiuersationis & contentionis materia sublata sit, iudicibus, qui apud vos sunt, mandauimus, vt omnes, quos seditiosos esse animaduertent, graui supplicio coerceant. Quocirca cum hæc vtraque perspiciatis, & nostram sententiam cum Dei voluntate consentientem, & curam de vobis vestraque concordia susceptam, quinetiam supplicium contra turbulentos homines statutum, vos ea, quæ sacrosanctæ religionis instituto consentanea conuenientiaq; sunt, sedulo obseruantes, hunc, quem diximus Athanasium, cum omni reuerentia & honore complectimini, & preces vna cum illo, tum pro vobisipfis, tum pro totius orbis terrarum concordia, Deo patri omnium moderatori fundere laborate.

Epistola de ijs, quæ contra Athanasium acta erant, penitus delendis.

Victor Constantius August. Nestorio, S.

Est etiam epistola eadem formula præfectis
Augustomnicæ, Thebaidis, &
Lybiæ perscripta.

*Sic legit
Niceph. li
bro 9. ca.
26.*

Siquid ad incommodum iniuriamq; eorum, qui cum Athanasio episcopo comunicant, antehac aliquando actū reperiatur, istud iam volumus omnino abrogari tolliq;. Quinetiam volumus, vt clerici eius eadem denuo immunitatem

tatem obtineant, quam prius habuerunt: istudq; mandatum nostrum obseruari volumus: Vt Athanasio episcopo ecclesie sue restituto, omnes clerici qui cum illo communicant, eandem, quam ceteri clerici, habeant immunitatem: eaque perfruentes, Vitam laici transigant.

Quod Athanasius cum Alexandriam per Hierosolymam proficisceretur, a Maximo in communionem receptus, episcoporum Synodum coegit, quae, ea quae Nicæa decreta erant, confirmauit.

CAP. XIX.

Hisce epistolis confusus episcopus Athanasius, per Syriam iter faciens, in Palaestinam proficiscitur. Ac Hierosolymam aduentans, vbi Episcopo Maximo cum ea, quae in concilio Sardicensi decreta erant, tum quo modo Imperator Constantius illorum episcoporum decisioni consensisset, perspicue significauerat, efficit, vt concilium episcoporum ibi etiam conuocaretur. Nam Maximus, abiecta omni cunctatione, quosdam episcopos e Syria & Palaestina accersit. Conuentu autem coacto, Athanasio & communionem defert, & dignitatem tribuit. Illud etiam concilium Alexandrinis, & omnibus Aegypti & Lybiae episcopis, ea, quae erant de Athanasio decisa & statutaq; perscribit. Qua de causa omnes, qui in Athanasium odium conceperant, vehementer contra Maximum vociferabantur, quod antea Athanasium suo suffragio abdicauerat, denuo autem poenitentia adductus, quasi non recte fecisset, illi iam erat suffragatus, & communionem dignitatemq; simul detulerat. Quae cum Ursacius & Valens, qui antea permagno desiderio erga Arij dogma exarserat, intellexissent, priore suo studio ab se ipsis condemnato, Romam veniunt: poenitentiae libello episcopo Iulio tradito, consubstantiali assentiunt: ac literis ad Athanasium missis, de cetero cum illo se comunicaturos fatentur. Ad hunc modum igitur Ursacius & Valens rebus Athanasii tam prosperè cadentibus deuicti, Consubstantiali, vti dixi, assensu sunt. Athanasius autem per Pelusium recta Alexandria iter capit: & in singulis ciuitatibus, ad quas aduectabat, docuit: hortatusq; est, vt Arianos deuitarent, eosq; amplexarentur,

SOCRATIS HISTORIAE

qui fidem confiteretur Consubstantialis. In quibusdam ecclesiis ministros etiam creat. Atque ista origo erat alterius illi obiectæ criminationis, quod in alienis ecclesiis ministros ordinauerat. Verum de iis, quæ id temporis Athanasio acciderant, ista hæctenus.

*De Magnentio & Berranione tyrannis, & cede
Constantis. C. A. P. X X.*

INterea Reip. statum non leuis exiguisve tumultus occupauit: de quo, quæ summatim percurrenda duximus, complectar breui. Constantino, qui Constantinopolim condiderat, morte extincto, tres eius filij (sicut in primo libro commemoratum est) in imperium succedunt. Ex quorum numero Constantinum, qui à patre nomen accepit, vnum fuisse, vnaque regnasse intelligendum est. Quem, vbi ad exitum tempus regnauerat, milites interfecerunt. Atque vt Constantius eum trucidare non iusserat, sic eadem certè nõ vetuit. Quod autem ille Constantinus iunior, dum in fines Imperij fratris sui irruptionem faceret, dumq; ipse cum militibus manum confingeret, interemptus sit, sæpius iam ante dictum est. Post cuius interitum, bellum à Persis contra Romanos est excitatum: in quo Constantius nihil feliciter prosperève gessit. Nam noctu prelio circiter terminos inter Romanorum & Persarum imperium interiectos, commisso, Persarum copiarum tum videbantur ad tempus superiores fuisse. Eodem tempore res Christianorum neutiquam erant pacatæ & tranquillæ, sed propter Athanasium, & verbum Consubstantialia, acris fuit in ecclesiis dimicatio. Quibus ad hunc modum constitutis, Magnentius in partibus versus occidentem tyrannus exoritur: hic Constantem partium ad occidentem spectantium imperatorem, iam tum in Gallia commorantem, per insidias è medio sustulit. Qua re gesta, Bellum intestinum grauissimum concitatur. Magnentius tyrannus tota Italia potitur: Affricam & Lybiam suo imperio subiicit: ipsam Galliam occupat. Porro autem Sirmij vrbs Illyrij alter tyrannus à militibus excitatur, cui nomen erat Britannio. Quinetiam Romæ similiter tumultus cietur. Nam Nepotianus, sororis Constantij filius gladiatorum manu stipatus imperium affectat. Hunc Magnentij duces

duces trucidant. Magnentius incursione facta, omnes occidentis partes subegit.

Quòd ubi partium occidentalium Imperator vita functus esset, iterum sedibus suis Paulus & Athanasius exturbantur, ille in exilium eiectus è medio sublatus est, hic verò fuga sibi consuluit.

CAP. XXI.

Istorum malorum omnium concursatio exiguo temporis momento facta est. Quarto namq; anno post concilium Sardicense acciderunt, Sergio & Nigriano Coss. Quibus Constantio nuntiatis, totius imperii gubernacula putavit ad se peruenisse. Imperator igitur in partibus orientis declaratus, bellum contra tyrannos cum omni apparatu mouere instituit. Athanasii autem aduersarii, tempus opportunum sibi oblatum arbitrati, contra illum, cum nondum Alexandriam aduentauerat, grauissima crimina de integro cõfingunt: Imperatoremq; Constantium docent, eum vniuersam Aegyptum & Lybiam peruertisse. Delectus ministrorum, quem in alienis ecclesiis fecerat, calumniam aduersus eum maximè auxit. Athanasius interea Alexandriam reuersus, varia episcoporum Aegypti concilia congregauit. Illi tum decretis episcoporum, qui Sardicæ conuenerant, tum concilio Hierosolymis à Maximo coacto, congruentia faciunt. Imperator verò, qui iam pridem Ariano errore implicatus tenebatur, omnia, quæ antea decreuerat, in cõtrariam partem detorsit. Ac primum Paulum episcopum Constantinopolitanum in exilium eijci iubet: quem quidem illi, qui eum abducebant, Cucusi vrbis Cappadociæ, nequiter strangularunt. Marcello etiam Ancyra expulso, Basilius rursus illi ecclesiæ præficitur. Lucius item episcopus Adrianopolis, in vincula coniectus, carceris cruciatu interiit.

Quinetiam ea, quæ de Athanasio erant ad Imperatorem relata, tam ingenti iracundiæ æstu illum incenderunt, vt è medio tolli, vbiunque terrarum reperiretur, mandaret. Porrò autem Theodulum, & Olympium ecclesiarum Thraciæ præfules, similiter neci dare iubet. Verùm quæ imperator statuerat, non clam Athanasio fuere: sed maturè præsenties,

SOCRATIS HISTORIAE

capessit fugā, sicq; Imperatoris minas deuitat. Huic eius fuga obtrectāt Ariani: & maximè Narcissus Neroniadis, ciuitatis Ciliciæ Episcopus, Georgius Laodiceæ, & Leontius, qui tum Ecclesiæ Antiochenæ præfuit. Qui cū esset presbyter, eo dignitatis gradu propterea deiectus est, quòd mulieris nomine Eustoliæ cōsuetudine vtēs, & turpē suspiciōe, in quam eius causa venerat, occultare laborans, mēbra genitalia sibi exeruisset, vti deinceps liberius cum ea vitam degeret, neque quicquam committeret, quamobrem eius gratia in crimen vocaretur. Iste Imperatoris Constantii voluntate ac studio Antiochenæ ecclesiæ episcopus post Stephanum, qui Placito successerat, creatus est. Sed de illo satis.

Quòd Macedonius episcopatum Constantinopolitanum adeptus, eos qui ab eo dissentiebant plurimis malis affecit. CAP. XXII.

PER idem tempus Macedonius, Paulo, eo modo, quo dictum est, è medio sublato, ecclesiis Constantinopolitanis præficitur: libertatemq; maximam apud Imperatorem adeptus, bellum inter Christianos mouit, nihilo inferius eo, quod erat eodem tempore à tyrannis concitatum: persuasitq; imperatori, vt ei ecclesiarum vastationem molienti subsidio esset: atque adeo efficit, vt quæcunque maleficia aggredi vellet, lege rata fierent. Vnde lex fuit in singulis ciuitatibus peruulgata. Copiis militaribus imperatum est, vt Imperatoris edictis exequendis sedulò inferuerent. Exturbantur itaque non ex ecclesiis solum, verū etiam ex ipsis vrbibus omnes, qui fidei consubstantialis assentiebant. Ac primum de illis solum exigendis laboratum est. Cum autem mali contagio longius serperet, illi qui exiguā, aut fere nullam curam habebant ecclesiarū, eos vt cum ipsis communicarēt, cogere instituerunt. Erat certe violentia nō minor ea, quàm illi olim adhibuerant, qui Christianos ad simulachra colenda compulissent. Etenim multi, cruciatus cuiusq; generis, varias membrorum distortiones, bonorum publicationes, perpersi sunt: alii patriæ finibus expulsi: alii tormentis enecti: nonnulli cum essent abducti in exilium, interierunt. Et cum ista in omnibus orientis ciuitatibus gerebantur, tū Constantinopoli vel maximè. Hanc intestinè per-

persecutionis procellam, quæ ante non adeo magna fuerat, Macedonius, vt primum ad episcopatum illum euolauerat, vehementer adauxit. Ciuitates autem Græciæ, Illyrij, & cæterarum orbis partium ad occidentem vergentium tumultu & perturbatione propterea caruere, quod inter se ipsæ concordarunt, decisioq; de fide in concilio Nicæno tradita apud ipsas semper dominata est.

Athanasii testimonium de flagitijs à Georgio Arianò Alexandria designatis. CAP. XXIII.

DE illis verò, quæ Alexandria eodem tempore, à Georgio acta sunt, ipsum Athanasium, qui eisdem cum exagitatus est, tum interfuit, commemoratē audiamus. Nam in Apologetico, quem de fuga sua conscripsit, de rebus ibidem gestis narrat ad hunc modum. Aduentant quidam Alexandriam nos, vt neci darent, denuò quæsituri: & facta sunt posteriora, peiora prioribus. Nam milites ecclesiam ex improviso circumfident: fit pro precibus pugna. Tum Georgius qui ab illis ex Cappadocia missus erat, tempore quadragesimæ accedens, perditos illos conatus, quos ab eis didicerat, ipse adauxit. Nam post hebdomadam Paschatis transactam, virgines in carcerem cõijci cœptæ sunt: episcopi cõstricti vinculis, à militibus abduci, ædes viduis & orphanis adimi: in familias direptiones fieri: noctu ex ædibus vi exportari Christiani, ædes obsignari: fratres Clericorum pro clericis in vitæ periculū vocari. Permultum acerbis tatis habuere ista quidem, sed multo plus ea, quæ sunt postea tentata. Hebdomada namq; sacrosanctā Pentecosten subsequenti, populus, vbi ieiunauerat, in cœmiteriū propterea precatum egreditur, quod oēs Georgij detestarentur communionem. Verū vt primū ille insignitè improbus hoc intellexit, præfectū ordinum militarium Sebastianum, qui Manichæus fuit, cõtra illos incitat. Ille deinceps cū militū turba, qui arma, gladios districtos, arcus & tela gestabant, ipso die dominico in populū impetū facit. Cū verò paucos admodū orantes offenderet (nā maxima pars, quia hora præterisset decesserat) talia admisit facinora, qualia ab illo admitti consentaneū erat. Rogū enim incendere: virgines propter ignē statuere: eas vt fidē Arianā profiteri se dicerēt, cogere cœpit.

SOCRATIS HISTORIAE

Vbi eas victrices esse, ignisq; flammis prorsus contemnere, animaduertit, detractis vestibus, sic eas in ora ac vultus verberare, vt diu post ægrè à suis noscerentur. Quinetiam viros quadraginta prehendere: eos nouo more ac modo verberibus cædere. Nam palmarum viminibus recens ex arboribus excisis, quæ suos adhuc habebant aculeos, ita terga illorum dilacerauit, vt nonnulli propter aculeos in ipsorum, dorfa penitus infixos, sæpius Chirugos adire cogerentur: alii, qui tam acerba cruciamenta ferre nequibant, mortè oppeterent. Omnes autem viri, quibus adhuc suppetebat vita, vna cum virginibus ad magnam Oasim à militibus relegati: corpora mortuorum facinore iam recens ædito, suis reddi minimè permissa, sed proiecta inhumataq; (sic enim, ipsis libitum est) occultabant iidem ipsi milites, quo populo afferrent opinionè se tam crudelis facinoris minimè conscios fuisse. Istud illi insani errore mentis obcecati patrarunt. At cum mortuorū necessarij & familiares propter confessionem quidem suorum lætitiā animis caperent, propter corpora tamen insepulta in mœrore & luctu versarentur, istorum militum impietas crudelitasq; maiore cum infamia & turpitudine patefacta est. Porro autem episcopos Aegypti & Lybiæ, Ammonium videlicet, Thmuim, Caium, Philonem, Hermem, Plinium, Psenosirim, Nilammonè, * Agathonem, Anagamphum, Marcum, Dracotium, Adolphium, Ammonium alterum, alterum etiam Marcū, Athenodorum: presbyteros autem Hieracem & Dioscorum actutum in exilium misere. Atq; istos è patriis sedibus exturbatos, adeò acerbè & crudeliter tractauere, vt nonnulli eorū inter vias, alij in exilio morte occumberēt. Episcopos amplius triginta trucidarunt. Nā exemplum Achaab imitati, ad veritatem è medio tollendam omni cura & cogitatione incubuerunt. De rebus à Georgio Alexandria gestis, ista Athanasius totidem verbis disseruit. Imperator exercitum deducit in Illyrium. Nam eo illum ire compulit necessario, cum Reip. status, tum Britanionis imperatoris à militibus declaratio. Qui vt Sirmium aduentauerat, pactis induciis, cum Britanione in colloquium venit. Interea militum animos, qui eum imperatorem renunciauerāt, ab eo ad se traducendos curat. Qui cum essent traducti, Constantiū solum

* Agathionem

solum Augustum, regem, atque imperatorem prædicant. Dum ita ab illis proclamatum est, Britanionis nulla fit mentio, Qui, ubi se proditum intellexerat, ad pedes imperatoris supplex se prouoluit, Cōstantius, regio ei diademate & purpura detractis, humanitus & benignè excipit: hortatur ut more priuati, vitam quietè & tranquillè exigeret. Nam homini seni multo commodius esse uiuendi genus negocij & molestiarum expers suscipere, quàm inane nomen dignitatis, plenum curarum & sollicitudinis retinere. Res Britanionis hunc habuere exitum. Imperator omnes eius sumptus ex tributis publicis illi suppeditari mandat. Postea verò ad eum Prouisæ urbis Bythinie ætatem degentem literas sæpe numero scribit, ostenditq; tum se, quod curis & angoribus illum liberabat, maximorum bonorum ei authorem fuisse, tum quibus miseris regnum districtum teneretur: seque parum considerate fecisse, quòd bonis, quæ illi concessisset, ille ipse non frueretur. Verùm de his hæcenus dictum sit.

De Photino hæresiarcha. CAP. XXIIII.

Imperator tunc Gallum, consobrinum suum, Cæsare constituit, & suo ipsius nomine illi imposito, Antiochiam, quæ est in Syria misit, ut partes Imperii ad orientem iacentes per illum defenderentur. Vbi Antiochiam aduentauerat, signum seruatoris in oriente apparuit. Nam columna crucis effigiem exprimens in cælo visa, maximam intuentibus excitauit admirationem. Alios suos duces cum maximis copiis contra Magnentium dimicaturos mittit. Ipse Sirmii commoratur, rerum euentum expectaturus. Interea temporis Photinus illius ecclesie antistes, dogma quoddam, quod ille ipse separatim excogitauerat palam diuulgare conatur. Et quoniam tumultus ex hoc oriebatur, imperator concilium episcoporum Sirmij conuocari iubet. Eo igitur conuenere ex episcopis orientis, Marcus Arethusius, Georgius episcopus Alexandria, quem Ariani, Gregorio sede illa episcopali, uti ante dixi, deturbato, illuc miserant, Basilius, qui ecclesie Aneyræ, Marcello expulsò, præfuit, Pancratius Pelusii, Hyppatianus Heracleæ: ex episcopis autem occidentis, Valens Murforum, & Osius episcopus Cordubæ

SOCRATIS HISTORIAE

quæ est vrbs Hispaniæ, qui id temporis permagna famæ ce-
lebritate fuit, inuitus accessit. Isti post consulatum Sergij &
Nigriani, quo anno propter belli tumultus & seditiones
nullus consul consueta consulatus munera obire poterat,
Sirmij congregantur: Photinū dogma Sabellij Afri, & Pau-
li Samosateni tueri deprehensum, illico episcopatu abdicāt.
Quod quidem omnes & iam tum, & postea vt probe recteq;
factum magnopere approbarunt.

*De fidei formulis Sirmij expositis, Imperatore Con-
stantio præsente.*

CAP. XXV.

ISTI episcopi, Sirmij ad tempus commorati, alia acta san-
ciuere. Nam vetera sua de fide decreta, condemnare, no-
uasq; fidei formulas condere cœperunt: vnam, quā Mar-
cus Arethusæ episcopus Græco sermone conscripsit: duas
autem alias, latino sermone, quæ nec verbis, nec compositi-
one ac sensu, vel ipsæ secum, vel cum illa, quam Episcopus,
Arethusius Græcè scripserat, congruerunt. Alteram tamen
earū, quæ latinè conscriptæ erant, formulę illi à Marco Græ-
cè æditæ hoc loco subiungam: alteram, quam postea Sirmij
etiam recitarant, suo loco, cum ea, quæ Arimini gesta sunt, à
nobis exponentur, intexam. Intelligendum est vtramque in
græcum sermonem conuersam fuisse. Fidei formula à Mar-
co conscripta ista quidem est. Credimus in vnum Deū,
patrem omnipotentem, cōditorem & fabricatorem omniū:
ex quo omnis paternitas in cælis, & in terris nominatur. Et
in vnigenitum filium eius, Dominum nostrum Iesum Chri-
stum ante omnia secula ex patre genitum, Deum de Deo, lu-
men de lumine, per quem omnia facta sunt, & quæ in cælis,
& quæ in terra, visibilia, & inuisibilia: qui est verbum, sapiē-
tia, lux vera, & vita: qui in nouissimis diebus propter nos
homo factus est, natus ex sancta virgine, crucifixus, mortu-
us: qui resurrexit à mortuis tertia die, ascendit in cælum, sedet
ad dexteram patris, & venturus est in fine seculi iudicare vi-
uos & mortuos, & reddere cuiq; secundum opera sua: cuius
regni non est finis, sed manet in infinita secula. Erit enim
sedens ad dexteram patris, non solum dum hoc seculū ma-
net, sed etiam in futuro. Et in spiritum sanctum, hoc est, pa-
tracle-

, ractum : quem Dominus pollicitus est se post ascensionē
 , suam discipulis missurum, vt illos doceret & suggereret om-
 , nia, eumq; misit. Per quem sanctificantur animæ eorum, qui
 , verè syncereq; in eum credunt. Eos autem, qui dicant, filiū
 , ex his quæ non sunt, constare, aut ex alia, quam ex Dei pa-
 , tris substantia, aut tempus seculūve fuisse cum non esset,
 , sancta & catholica ecclesia tanquam alienos à se execratur.
 , Rursus verò dicemus: si quis patrem & filium duos deos di-
 , xerit, anathema esto. Si quis, cum dicat Christum Deum fu-
 , isse ante secula, non simul confiteatur filium Dei patri ad v-
 , niuersarum rerum fabricationem inseruisse, anathema esto.
 , Si quis eum ingenitum, aut partem ipsius ex Maria genitam
 , dicere audeat, anathema esto. Si quis filium secundum præ-
 , scientiam ex Maria natum, & non ante secula ex patre geni-
 , tum apud Deum fuisse, & per ipsum omnia facta esse, anathe-
 , ma esto. Si quis substantiam Dei posse dilatari, aut contra-
 , hi asseruerit, anathema esto. Si quis essentiam Dei dilatam
 , filium dixerit effecisse, aut eius essentiæ dilatationem, vt ita
 , dicam, filium nominauerit, anathema esto. Si quis filiū Dei,
 , verbum in mente patris quasi insitum, aut verbum prolatū,
 , anathema esto. Si quis filium ex Maria natum hominem so-
 , lum dixerit, anath. esto. Si quis cum Deum & hominem ex
 , Maria natum dicat, Deum ingenitum ipsum intelligat, ana-
 , thema esto. Si quis hoc, Ego Deus primus, & ego postea, &
 , præter me non est Deus (quod quidem ad simulachra tol-
 , lenda, & eos, qui dij non sunt, dictum est) ad vnigenitū tol-
 , lendum, qui Deus est ante secula, more Iudaico intelligen-
 , dum putet, anath. esto. Si quis cum audiat istud: verbum ca-
 , ro factum est, verbum in carnem mutatum existimet, aut cō-
 , uersionem subeundo carnē sumplisse, anath. esto. Si quis, cū
 , audiat vnigenitum Dei filium crucifixum, dixerit eū interi-
 , tum, aut passionem, aut mutationem, aut diminutionem, aut
 , internecionē subiisse, anath. esto. Si quis hoc: faciamus ho-
 , minem, nō patrē ad filium dixisse, sed ipsum Deum patrē ad
 , se ipsum locutum censeat, anath. esto. Si quis cū Iacob non
 , filiū, tanquam hominē luctatum esse, sed Deū ingenitū, aut
 , partē ipsi⁹ affirmarit, anath. esto. Si quis illud, Pluit domin⁹
 , à domino non de patre & filio accipiat, sed ipsum patrē à se
 , pluisse dicat, anat. esto. Pluit nāq; domin⁹ filius à dño patre.
 Si quis

Si quis

SOCRATIS HISTORIAE

Sic leg. Si quis cum audiat dominum patrem, & dominum filium,
Niceph. & dominum patrem, & dominum & filium dixerit, & cum
li. 9. c. 31. dicat: dominus ex domino, duos deos asseruerit, anath. esto.
 Non enim filium in eodem gradu cum patre locamus, sed
 patri subiectum facimus. Neque descendit in corpus absq;
 patris concilio: neque pluit ipse ex se, sed ex domino, qui à
 seipso habet authoritatem, videlicet ex patre: neque sedet à
 dextris ex se, sed audit patrem dicentem, sede à dextris meis.
 Si quis patrem, & filium, & spiritum sanctum, vnam perso-
 nam dixerit, anath. esto. Si quis cum spiritum sanctum para-
 cletum dicat, Deum ingenitum dixerit, anath. esto. Si quis,
 non alium paraclenum præter filium dixerit, sicut ipse filius
 nos docuit (dixerat enim, alium paraclenum mittet vobis
 pater, quem ego rogabo) anath. esto. Si quis Spiritum san-
 ctum partem dixerit patris & filii, anath. esto. Si quis patrē,
 & filium, & spiritum sanctum tres deos esse affirmauerit, a-
 nathema esto. Si quis filium Dei, tãquam vnam ex creaturis
 voluntate patris factum dixerit, anath. esto. Si quis filium
 inuito patre genitum dixerit, anath. esto. Nam pater non
 cõtra suam ipsius voluntatem, naturali necessitate coactus,
 perinde ac si ipse nolisset, filium genuit, sed tum voluit, tũ
 sine tempore, sine passione ex se illum genuit. Si quis filium
 ingenitum & sine principio dixerit, & ita duo principio ca-
 rentia, duoq; ingenita dicat, & duos deos constituat, anath.
 esto. Caput enim & principium omnium creaturarum filius
 est: Caput autem Christi Deus. Sic enim ad vnum vniuersi
 principium principio vacans, omnia per filium pie referi-
 mus. Rursus veram illam Christianæ professionis notionē
 accuratè expendentibus dicimus, quod si quis Christum Ie-
 sum, Dei filium, qui patri ad vniuersarum rerum fabricatio-
 nem inseruiuit, non ante secula fuisse dixerit, sed ab eo tem-
 pore solum, quo ex Maria natus fuit, filium & Christum fu-
 isse, & tum incepisse Deum esse, sicut Paulus Samosatenus
 asserbat, anathema esto.

*Alia fidei formula, Latino sermone pri-
 mum scripta, post in Gracum
 conuersa.*

Quoniam

Quoniam visum erat, vt accurata aliqua de fide haberetur consideratio, omnia quæ ad eam rem pertinent Sirmij exquisitè indagata explicataque fuere, & Valète, Vrsacio, Germanio, & cæteris episcopis præsentibus consensus est, vnum Deum esse, patrem omnipotentem, sicut in toto orbe terrarum prædicatur. Et vnum vnigenitum eius filium, Iesum Christum, & seruatorem nostrum ex eo ante secula genitum. Duos deos non oportere dicere, quandoquidem ipse dominus dixit, Vado ad patrem meum, & patrem vestrum, & Deum meum, & Deum vestrum. Propter hoc & omnium Deus est sicut Apostolus docuit: nunquid Iudæorum Deus solum? an non etiam & gentium? imò & gentium: quoniam vnus est Deus, qui iustificabit circumcisionem ex fide: & cætera omnia consentiunt, nullamque habent dubitationem. Et quoniam de hac voce, quæ à latinis substantia dicitur, à Græcis *ὁμοία* à multis grauiter certatum est, hoc est, vt accuratius intelligatur, de æquisubstantiali, vel potius quod dicitur consubstantiale, à nemine deinceps mentione de illis faciendam esse, neque de his rebus vllam in ecclesia explicationem instituendam: id adeo ob hanc causam rationemque, quod de iis in sacris literis nihil scriptum extat, quodque humanam intelligentiam mentemque longè superat: & quod generationem filii nemo potest explanare: sicut in sacris literis proditum est: generatione eius quis enarrabit? Nam constat patrem solum scire, quomodo genuerit filium, & rursus filium solum scire quomodo à patre genitus sit. Nemini autem dubium esse, patrem maiorem esse, honore, dignitate, & diuinitate, & ipso nomine paterno etiam maiorem esse: idque filii ipsius testimonio dicentis: qui me misit pater, maior me est. Quinetiam istud catholicum esse nemini esse obscurum: duas scilicet personas esse patris & filii: & patrem maiorem, filium subiectum cum cæteris omnibus, quæ pater illi subiecerit. Patrem principium non habere: inuisibilem & immortalem esse, non posse pati. Filium genitum à patre Deum de Deo, lumen de lumine: & huius generationem, (sicut ante dictum est) neminem, nisi solum patrem cognoscere. Ipsum filium Dominum & Deum nostrum, carnem, seu corpus, hoc est hominem sumpsisse: quemadmodum tum angelus nūciauit, tum omnes scripturæ

Rom. 2.

ὁμοία

σὺν ᾧ

τοῦ ὁμοίου

μὲν ὁμοίου

sic legit

Niph. li

bro 9. ca.

31.

Isa. ca. 53

pturæ

SOCRATIS HISTORIAE

Matt. 28

pturae docent, & maximè Apostolus ipse, doctor gentium: Christum ex Maria virgine hominem sumpsisse, per quem passus est. Caput autem esse & firmamentum totius fidei, vt trinitas semper conferuetur, sicut in euangelio legimus: E-
 untes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filii, & spiritus sancti. Simplex verò & perfectus est trinitatis numerus. Paracletus, spiritus sanctus per filium missus, venit secundum promissionem, vt Apostolos, & omnes credentes sanctificaret, & doceret. Photino persuadere nituntur post eius abdicationem, vt istis rebus assentiret subscriberetque: & polliciti sunt episcopatum se illi redduros, si modo respiceret, dogmaque seorsum ab ipso exco-
 gitatum damnaret anathemate, atque adeo ipsorum opinioni accederet. Ille repudiat conditionem, eosque ad disputandum prouocat. Ac die ad eam rem praesentata, de sententia Imperatoris conueniunt, tum episcopi, qui ibi aderant, tum non pauci senatores, quos Imperator rogauerat, vt disputationi vellent interesse. In quorum confesso Basilius, qui tum Ancyrae episcopus fuit, se Photino opposuit: notarij, qui scribendi celeritate multum valebant, eorum verba exceperunt. Dum inter se acriter differunt, maxima oritur concertatio. In qua disputatione Photinus euietus, condemnatur. De reliquo vitam in exilio degens, librum tum Graeca, tum Latina lingua (nam ne huius quidem lingua ignarus fuit) composuit. Scripsit autem contra omnes haereses, dum suum ipsius dogma diulgare laborauit. Verum de Photino sit dictum satis. Intelligendum est episcopos, qui Sirmij conuenerant, se illius fidei formulæ latino sermone conscriptæ pcenituisse. Nam postquam ædita fuit, visa est illis pugnancia complecti. Ob quam causam dederunt operam, vt ex illorum manibus, qui eam descriperant, eximeretur, vbi autem à multis occultabatur, Imperator per editum mandauit, vt eius quæ exiuerant exemplaria conquirerentur, suppliciumque est cuique minatus, qui illa occultasse deprehenderetur. At nullæ minæ ea cum semel ædita essent, delere poterant, propterea quod in tam multorum manus incidissent. Verum hæc quidem hactenus.

De

De Hosio Cordubensi. CAP. XXVI.

QVoniam autem de Hosio Cordubæ episcopo, quod animo invito ad concilium Sirmij habitum accesserat, mentionem fecimus, de hac re pauca iam dicemus.

Quantquam iste paulo ante per fraudulentum Arianorum conatum erat in exilium missus, id temporis tamen studio & labore episcoporum, qui Sirmij conuenerant, factum est, ut Imperator illum accerferet, habens in animo vel persuadendo, vel cogendo eum inducere, ut cum episcopis ibi coactis consentiret. Nam si istud factum esset, illorū fides per illustri testimonio confirmata videretur. Hac de causa, inuitus ut dixi, accessit ad concilium. Simul atque senex ille eorum fidei assentire abnuebat, plagæ illi erant inflictæ, mēbraque machinis distorta. Quapropter fidei formulis eo tempore æditis, vi & necessitate compulsus consensit, subscripsitque. Atque res tum Sirmij gestæ hunc exitum habere.

*De Magnentio tyrāno deuictō, & Iudæis qui Deo-
cesaream urbem Palæstinæ incolebant, & Gal-
lo Cesare. CAP. XXVII.*

Imperator Constantius Sirmij commoratur, expectans euentum belli contra Magnentium suscepti. Magnentius autem, simul ut Romam, urbem omnium facile principē occupauit, trucidat ex ordine senatorio complures: nō paucos etiam ex populi multitudine è medio tollit. Verū ubi duces Constantij, Romanorum copiis collectis, contra illū ire contendunt, Roma decedens, in Galliam proficiscitur. Ibi crebra prælia fiunt: & modò hæc, modò illa pars superior fuit. Tandem apud Mursam (est autem hoc castellum Galliæ) Magnentius deuictus, se in illud castellum concludit: in quo quidem tale miraculum fertur æditum esse. Magnentius animos suorum militum præ clade accepta fractos debilitatosque; recreare laborans, altum suggestum conscendit. Illi, quod de more Imperatoribus fieri solet, Magnentio faustè acclamare cupiētes, quasi præter animi voluntatē, acclamationem ad Constantiū transferūt. Nam non Magnentium, sed Constantium omnes vno ore Augustū prædicāt.

Quod

SOCRATIS HISTORIAE

Quod quidem velut omen infortunii Magnentius arbitra-
 tus, confestim se ex illo castello subducit: ad vltiores Gal-
 lię partes transfugit. Constantii duces acriter insequuntur.
 Denuo pugnatum est, in loco quodam, qui Miltoseleucus
 dicitur, in quo Magnētius vi superatus, fugam solus capes-
 sit. Lugdunum urbem Gallię contendit: qui Murfa castel-
 lo abest trium dierum iter. Magnentius vt Lugdinum ve-
 nit, primum matrem suam interimit: deinde fratrem, quem
 Cæsarem cōstituerat, trucidat: ad extremum sibi ipsi necem
 consciscit. Hęc res gesta est ad sextum Consulatum Con-
 stantii, secundum autem Constantij Galli, decimo octauo
 Calend. Septembris. Non longo tempore post, Decen-
 nius, alter frater Magnentii vitam sibi ipsi laqueo eripuit.
 Et quanquam hoc modo Magnentij tyrannis, ad exitum ve-
 nit, Resp. tamen non adhuc satis tranquilla & quieta fuit.
 Nam statim post, alter tyrannus, Siluanus nomine, exoritur.
 Verum hunc statum Reip. in Gallia turbantem duces Con-
 stantii actutum profligarūt. His rebus confectis, mox aliud
 bellum intestinum in oriente excitatur. Nam Iudæi, qui
 Diocæsaream Palæstinæ incolebant, arma contra Romanos
 sumere, in loca finitima incursionem facere cœperunt. Ve-
 rum Gallus, qui & Constantius vocabatur, quem impera-
 tor Constantius Cæsarem constituerat, inq; orientem mi-
 ferat, copiis eo traductis, illos bello subegit: ciuitatem Dio-
 cæsaream solo æquari mandauit. Vbi istas res gesserat Gal-
 lus, secundum fortunæ flatum moderate ferre non potuit,
 sed statim contra ipsum Constantium, qui eum Cæsare cre-
 auerat, nouas res inoliri aggreditur, studio tyrannidis occu-
 pandæ inflammatus: adeo vt non multo post, à Constantio,
 quid apud animum proposuisset, perspicuè deprehensus sit.
 Domitianum namque tum orientis præfectum, & Magnum
 quæstorem de sua ipsius occidit autoritate: nec imperatori
 quid animo instituerat significauit. Qua de causa Constan-
 tius grauiter cōmotus, Gallum ad se accersit. Ille metu su-
 pra modum perculsus, inuitus ad eum perrexit. Quem qui-
 dem, vbi partes versus occidentem occupauerat, & iam in
 insula Flauone versabatur, Constantius è medio tolli iussit.
 Post exiguum temporis spacium, Iulianum Galli fratrem
 Cæsarem constituit, inque Galliam contra Barbaros misit.

Gallus

Gallus qui etiam Constantius appellabatur ad septimū Cōsulatum Constantii, ad tertium autem sui ipsius, interfectus est. Iulianus verò sequenti anno, Arbitione & Lolliano Coss. Cæsar creatur: sept. Id. Nouembris. Cæterum de Iuliano proximo libro differemus. Constantius his præsentibus malis liberatus, ad bellum cum ecclesia gerendum animum suum conuertit. Nam Sirmio Romam, urbem primariam profectus, concilium episcoporum de integro conuocat: & quosdam ex episcopis orientis in Italiam maturè cōtendere, eo etiam accedere episcopos occidentis iubet. Interea temporis, dum hi in Italiam iter parant, accidit, ut Iulius episcopus Romanus, qui quindecim annos ibi ecclesiā rexerat, è vita migraret: Liberiusq; in illius episcopatus administrationem succederet.

De Aetio Syro Eunomij præceptore.

C A P. XXVIII.

ANtiochiæ, quæ est in Syria, Aëtius cognomento Atheus, alius hæresis author exoritur. Ille, quamuis eadē cum Ario sentiret, eandemque tueretur opinionem, tamen ab Arianis, quòd Arium in communionem receperat, se segregauit. Nam Arius, uti ante dixi, alia complexus animo, alia ore confessus, cum esset Nicææ, fidei formulam ibi in cōcilio editam admisit, eiq; subscripsit, & Imperatorem, qui tum regnabat, per fraudem ludificatus est. Ob quam causam Aëtius se ab Arianis penitus seiunxit. Etiam ante illud tempus Aëtius fuerat hæreticus, & Arii dogmati patrocinari ardenti studio contenderat. Nam cum Alexandria aliquantum profecisset in literis, decessit. Antiochiam autem Syriæ profectus (in ea namque ciuitate natus fuit) à Leontio, qui tum episcopus erat Antiochiæ, diaconus constitutus est. Paulo post, eos qui forte in eius venère colloquium, suis obstupescit argutiis. Istud autem effecit, fretus elenchis sophisticis Aristotelicis (Sic enim liber est ab authore inscriptus) quarum subsidio cum differeret, captiofas ratiocinationes, quas ipse non poterat dissoluere, imprudens contexit: quippe Aristotelis institutum à peritis minimè didicerat. Nam Aristoteles propter sophistas, qui tum philosophiam irrisere, hanc differendi rationem pro a-

SOCRATIS HISTORIAE

dolescentibus cōscripsit, & ita sophisticis & fallacibus quibusdam argutiis sophisticis restitit. Itaque Academici, qui Platonis & Plotini scripta explanant, ea, quæ sunt tam argute & subtiliter ab Aristotele disputata, admodum reprehendunt. At Aëtius, utpote Magistrum Academicum minimè consecutus, in captiosis reprehensionum inhæsit fallaciis. Quapropter mente haud poterat comprehendere, quomodo sit generatio ingenita, & qua ratione, quod genitum est, coæternum sit, cum eo, quod illud genuerit. Adeo autem doctrinæ inops, adeoque sacrarum literarum rudis & ignarus fuit. Fallax duntaxat ratiocinandi genus, & certandi studio comparatum (quod quidem ab agresti & indocto facile fieri possit) sibi acquisierat: Sic ut in veteribus scriptoribus, qui sacra eloquia ad fidem Christianam spectantia interpretati fuissent, non modò non esset exercitatus, sed Clementem, Aphricanum, & Origenem, viros omni doctrinæ sapientiæque genere literatè peritos, prorsus rejiceret: atque adeo epistolas, quas nugis litigiosis, fallacibusque conclusiunculis dedita opera refererat, ad Imperatorem Constantium & alios nonnullos conscriberet. Ob quam causam Atheus nuncupatus est. Et quanquam eadem cum Arianis asserebat, tamen à suis, qui inuolutam & captiosam ratiocinandi viam ab eo traditam, minimè intelligere poterant, pro hæretico utpote cum Arianis consentiente, est habitus. Quare cum esset eorum ecclesia exturbatus, voluit tamen videri, quod se sua sponte ab illorum communione se iunxisset. Ab illo autem, qui erroris sui initium duxissent, id temporis Aëtiani, iam verò Eunomiani appellantur. Nā paulò post Eunomius, qui eius scriba fuit, & ab eo peruersam deprauatamque doctrinam didicerat, huic hæreticorum sectæ præfuit. Sed de Eunomio, suo loco dicemus.

*De Mediolanensi Synodo & Ariminensi, & fide
quæ illic exposita erat.*

CAP. XXIX.

PER id tempus in Italia non multi ex episcopis orientis conuenerant: quando quidem plerisque illorum ingravescens ætas, & itineris longitudo impedimentò fuit, quo minus illo aduentarent. Ex episcopis verò occidentis accessere

accessere amplius trecenti. Exhibat edictum Imperatoris, ut concilium Mediolani cogere, Quo cum episcopi orientis venissent, primum omnium postulabant, uti contra Athanasium communis pronunciaretur sententia: quo quidem confecto, putabant fore, ut reditus Alexandriam illi pœnitus præcluderetur. Postquam intellexere Paulinus Treueris, quæ est in Gallia, episcopus, Dionysius, & Eusebius (quorum ille Albæ primariæ urbis Italiæ episcopus fuit, hic Verfellarum ciuitatis Liguriæ) episcopos orientis omnes nervos contendere ad decretum contra Athanasium faciendum, non alia de causa, quam ut fides labefactaretur, consurgentes grauer vociferabantur, religionem Christianam per dolos & fraudulentos illorum conatus expugnatam fore: dicebantque; criminationem Athanasio obiectam perspicue falsam esse: illosque; eas res excogitasse, uti fidem prorsus euerterent. Dum hæc isti vociferabantur, episcoporum concilium dimissum est. Quod ubi intellexerat imperator, illos actutum in exilium ire mandat: generaleque; concilium conuocare in animo habet, ut cunctis episcopis orientis in partes occidentis accersitis, omnes, si fieri possit, ad concordiam reducat. Ei verò istam rem animo agitanti, videbatur perdifficilis ad præstandum propter itineris longitudinem: & ob eam causam concilium in duas partes diuidi iubet: atque episcopos, qui tum aderant Arimini, quæ est urbs Italiæ, conuenire: episcopos autem orientis Nicomediam urbem Bythinia petere per literas imperat. Verum eius institutum non successit prosperè. Nam neutrum concilium secum consensit, sed utrumque; fuit in varias partes distractum. Etenim neque episcopi, qui Arimini conuenerant, concordare poterat, & qui in oriente coacti erant, Seleucia urbis Isauria nouum schisma conflare. Qua ratione autem singula istorum acta fuerint, deinceps in sermonis nostri progressionem exponemus. Si modò de Eudoxio prius pauca dixerimus. Eodem ferè tempore Leotio, qui Aërium hæreticum ad gradum diaconatus extulerat, morte extincto, Eudoxius Germanicia, urbis Syria episcopus, qui tunc Romæ aderat, maturè sibi in orientem reuertendum putat: agit veterariè cum Imperatore, ut sibi potestas ocius redeundi propterea fieret, quod Germanicia ciuitas ipsius consolatione & subsidio magnopere egere videretur.

SOCRATIS HISTORIAE

Imperator verò, qui minus, quid esset illi in animo, præuiderat, hominem dimittit. Iste cubiculariorum Imperatoris operam & auxilium nactus, sua ipsius ciuitate derelicta, per dolum ad Episcopatû Antiochiæ subrepsit: moliturque vt Aëtium in ecclesiam denuò reducat: contenditq; vt cõcilio episcoporum conuocato, illum ad diaconatus gradum restituat. Verùm istud propterea neutiquam cõfici poterat, quod odium contra Aëtium conceptum, plus ad illum repellendum, quàm studium Eudoxii ad restituendum ualere: sed de iis rebus non opus est pluribus. Ex illis, qui erant Arimini congregati, episcopi quidem orientis causâ Athanasii silentio prætermisâ, dixerunt se aliis de causis conuenisse. Quorum opere ac studio Ursacius & Valens (qui initio Arii dogma propugnauerant, postea tamé ob libellum, quem Episcopo Romano obtulerant, fidei consubstantialis, sicut ante dixi, assentiebantur) magno fuere adiumento. Nam isti duo ad nutum eorum qui plus ualebant, se semper accommodabant. His etiam uenere subsidio, Germanius, Auxentius, Demophilus, & Caius. In conuentu igitur, ubi episcoporum qui aderant, alius aliud statuendum censeret, Ursacius & Valens omnia, quæ erant olim de fide tradita, dixerunt irrita debere esse, & nouam fidei formulam, quam episcopi Sirmij coacti paulo ante ediderant, approbari. Quæ cum dixissent, schedam, quam habebant in manibus, legendam curauere. Aliã autem fidei formulam, quam Sirmii antea conscripserant, ibiq; uti supra commemorauimus, superprefferant, tum Arimini in medium protulerunt. Quæ etiam erat ex Latino sermone in Græcum conuersa. His ferè uerbis explicata fuit. Fides ista catholica coram domino nostro Constantio, Flauio Eusebio, & Hypatio Coss. Sirmii ad undecimum Calend. Iunias edita fuit.

Credimus in vnum solum, & uerum Deum, patrem omnipotentem, conditorem & opificem omnium. Et in vnum, unigenitum filium Dei, qui fuit ante secula, ante omne principium, & ante omne tempus, quod menti percipi potest, & ante omnem notionem comprehensibilem à Deo patre sine passione vlla genitus: per quem tum secula condita, tum omnia facta sunt. Unigenitum solum ex solo patre genitum, Deum de Deo, similem patri, qui illum genuit, secundum scriptu-

scripturas. Cuius generationem nemo nouit, nisi solus pater, qui genuit illum. Hunc scimus vnigenitum eius filium nutu paterno de cælis ad delendum peccatum descendisse: natum esse ex Maria virgine, versatum cum discipulis, paterna volūtate omnem œconomiam expleuisse: Crucifixū, passum, mortuum: descendisse ad inferos, omnia illic dispensasse: quem inferorum Ianitores intuentes cohorrerūt: tertia die resurrexisse: iterum cum discipulis versatum: & quadraginta diebus expletis, ascendisse ad cælos, sedere ad dexteram patris: & venturum in nouissimo die cum gloria paterna, vt reddat vnicuique iuxta opera sua. Et in spiritū sanctum, quem ipse vnigenitus Dei filius, Iesus Christus promisit se missurum generi humano, paraclitum, sicut scriptū est: Vado ad patrem meum, & orabo patrem meum, & alium paraclitum mittet vobis, spiritum veritatis. Ille à me sumet, & docebit & suggeret vobis omnia. Nomen substantiæ, quoniam à patribus simpliciter positum, à populo autem ignoratum, offensionem propterea multis concitat, quod scripturis minime sit comprehensum, visum est ipsum tollere, & omnino nullam mentionem huius verbi, substantia, cum de Deo loquimur de reliquo fieri, quia literę sacrę omnino substantiæ, vel filii, vel spiritus sancti nequiquam meminerint. Filium tamen patri per omnia similem dicimus, quippe cum sacra scripturæ illud asserant, doceantque. Istis perlectis illi, quibus parum videbantur arridere, consurgentes, dixerunt: nos minime huc propterea cōuenimus, quod essemus fidē destituti (nam eam integram seruamus, quam ab initio accepimus) sed vti si quid noui quisquam de ea moliretur, ei obfisteremus. Quod si igitur ista, quæ prælecta sunt, non ad res nouandas omnino spectent, vos iam errori Ariano eodem modo, quo vetus ecclesię canon alios errores, tãquam blasphemia refertos reiecerit, anathema denuntiate. Quod autem Arii dogma tam plenum blasphemiæ, tumultus, & turbas in ecclesia ad hoc vsque tempus excitarit, vniuerso orbi terrarum palam est. Quod quidem propositum cum ab Ursacio, Valente, Germanio, Auxentio, Demophilo & Caio non reciperetur, ecclesiæ concordiam plane dirimit. Nã isti illis, quæ in Concilio Arimini habito, perlecta erant, adhæserunt: alij fidem concilij Nicæni de integro

SOCRATIS HISTORIAE

fatam fecere, irrisereq; fidei formulam in illis, quæ erât perlecta, comprehensam, & maximè Athanasius: qua quidè inductus, literas ad suos scripsit, his ferè verbis.

Quid, quæso desiderabatur ecclesiæ catholicæ ad pietatis doctrinam, vt iam de fide quærât, & consules, qui in hoc præsentî tempore fuerint, verbis, quæ de fide scilicet ipsi profuerint, nominatim præfigant? Nam Ursacius, Valens, Germanius fecerunt, quod nunquam vel factum, vel auditum apud Christianos fuit. Etenim vbi ea scripserant, quæ ipsi credenda putauère, consules, mensem, diem denique, præscripserunt, vt omnibus prudentibus viris constaret, eorum fidem non ante regnû Constantii initium habuisse. Quinetiam omnes illi ad propriam hæresim respicientes, sententiam suam scriptis mandarunt. Porrò autem cum de domino scribere præ se ferrent, alium quidem suum dominû nominauère, nempe Constantium. Ille enim fenestram illis ad impietatem aperuerat. Atque dum filium Dei æternum denegabant (adeo namq; illi hostes Christi erant ad nequitiam proiecti) imperatorem æternû dixerûnt. Sed fortassis ex sanctis prophetis qui tempora, quibus vixerint, tradunt, ansam ad consules notandos arripuere. Verùm si istud audeant affirmare, suam ipsorum valde produnt inscitiam. Nam quam in sanctorum prophetiis, temporum facta est mentio, vt in Esaia & Osea, qui in diebus Ozia & Ioathan, & Achaz & Ezechia fuerunt, vt in Hieremia, qui vixit in diebus Iosia, vt in Ezechielis & Danielis, qui regnante Cyro, & Dario, floruerunt, vt in aliorum denique prophetiis, qui aliis temporibus prophetarunt, non tamen illi primum fundamenta iecere pietatis & religionis diuinæ. Nam ante illorum tempora, & semper & ante mûdi fabricationem fuit, quam quidem Deus per Christum nobis preparauit. Atque tempora, quibus illorum fides inchoata fuerit (ante illaque tempora fuère illi ipsi fideles) minimè designarunt: sed tempora erant illa quidem promissionis per illos prænunciata. Ac promissio quidem, incarnationem seruatoris nostri potissimum attigit: quod autem ei erat adiunctum, ea, quæ cum Iudæis, cum gentibus obuenirent, perspicuè comonstrauit. Quinetiam in temporibus illis notatis, fides quidem vti supra dixi, non habuit originem, sed ipsi propheta:

pheta: in quibus quidem cum viuerent, istas res vaticinati sunt. At isti nostri sapientes, cum nec res gestas literis produnt, nec futura prædicunt, sed scribunt, *Edita est fides Catholica*, statim attextunt & Coss. & mensem, & diem. Quem admodum sancti viri, tempora cum rerum gestarum, tum sui ipsorum ministerij perscribunt, sic isti tempus, quo cœpta sit ipsorum fides annotant. Atque vtinam certè suam ipsorum fidem solum scriptis mādassent: iam verò fidei initium faciunt, & nōn quasi ante extiterit, de ea disputare aggrediuntur. Non enim scribunt: sic credimus, sed hoc modo, *Edita est fides Catholica*. Itaque audax instituti huius susceptionio illorum inscitiam arguit manifesto. Atque recens illius conscriptæ formulæ instituta ratio, Ariani hæresin plane æquat. Sic namque scriptis docuerunt, tum cœperunt ipsi credere, deinceps illorum fidem annunciare constituunt: non aliter, atq; apud Lucam euangelistam est: editum est edictum de censu. Istud edictum ante quidem non erat, sed ab illis diebus cœpit esse. & ab eo, qui illud scripserat, editū fuit. Ita, cum isti scribunt, edita est iam fides, ostendunt errorem suum nuper excogitatum esse, & antea non extitisse. Quod si verbum, *CATHOLICA*, addant, in impiam Catharygum peruersitatem imprudentes ruunt: vt illorum more ipsi etiam dicant: nobis reuelatata est fides Christiana, & à nobis incepta. Et vt illi Maximillam, & Montanum, sic isti pro Christo Constantium dominum nuncupant. Quod si illorum temporibus, atque illis Coss. Fides habuerit initium, quid de patribus, & beatis Martyribus fiet? quid de illis, quos isti ipsi in fide instituerant, & ante istos Coss. mortui sunt? Qua ratione illos à mortuis excitabunt, vt quæ tum illos docuissent penitus ex illorum animis euellant, & quæ iam excogitarint, scripserintq; inferant. Adeo sunt insulsi, vt simulatas causas solum confingere norint, quæ vt ineptæ sunt & improbabilis, ita facilè cogui & refelli poterunt. Iestas res Athanasij epistola missa ad suos familiares complexa est: quam quidem studiosi pro arbitrato possunt peruestigare, eaque quæ sunt in illa ipsa acutè & grauiter disputata penitus cognoscere. Nos enim partem duntaxat eiusdem hoc loco posuimus, quo breues esse possemus. Est porrò intelligendum

Luc. 2. 6a

SOCRATIS HISTORIAE

Valentem, Vrsacium, Auxetium, Germanium, Caium, Demophilum, à concilio propterea abdicatos fuisse, quod recusabant, quo minus opinioni Arianæ indiceretur anathema. Ob quam causam, cum isti suam abdicationem iniquo ferrent animo, ad imperatorem propere contendere ceperunt, & fidei formulam in concilio perlectam ad eum deferre. Concilium sua decreta Imperatori per epistolam exponit, ex Latino sermone in Græcum conuersam: cuius hæc quidem est sententia.

Concilij Arimini habiti ad Imperatorem Epistola.

Quoniam tum mādatum Dei, tum tuæ pietatis edictum ita postulat, idcirco ea, quæ olim de fide fuere decreta, nostris suffragiis stabilienda iudicamus. Nam cuncti Episcopi ex omnibus ciuitatibus ad occidentem sitis Arimini in vnum conuenimus, vt & fides ecclesiæ catholicæ fieret illustrior, & illius aduersarij perspicuè deprehenderentur. Postquam igitur diu deliberatum est, placuit, eam fidem, quæ ex antiquis ducta tēporibus, hætenus permanfit, quæq; à prophetis, ab euangelistis, ab Apostolis denique per gratiam domini nostri Iesu Christi, tui imperii defensoris, conseruatorisq; valetudinis tuæ, prædicata est, firmè retinere, retentamq; perpetuo conseruare. Absurdum enim, imo nefas cerè videbatur, quicquam commutare in illis, quæ rectè vereq; definita essent, quæq; fuissent ab omnibus in concilio Nicæno, tui patris Constantini Imperatoris illustrissimi subsidio accuratè exquisita excussa; : quorum doctrina & sententia per omnium hominum aures mentesq; peruasisset, palamq; esset prædicata. Cuius vnus vi Arii hæresis expugnata est, prorsusq; extincta. Cuius etiam adiumento, non hæc solum, sed aliæ quoque hæreses sunt extirpatæ. Cui profectò aliquid adijcere tutum non est, & ab ea quicquam detrahere periculosum. Quod si alterutrum istorum eueniat, erit tanta aduersariis impunitas proposita, vt quod libeat, licenter exequantur. Itaq; Vrsacius & Valens, quoniam iam pridem animos suos Ariano dogmate implicauerant, & nostra erant propterea communionem segregati, non modò illos, vt eiusdem communionis denuò fierent participes,

, cipes, poenituit delictorum, quæ se admisisse sua ipsoꝝ con-
 , scientia planè arguebat, verum etiam vt ipsoꝝ scripta te-
 , stantur, veniam obnixè postulauere. Quibus de causis om-
 , nia eis crimina remissa, condonataque fuerunt. Ista quidem
 , eo tempore gerebantur, quo cõcilium Mediolani habitum
 , est, præsentibus ecclesiæ Romanæ presbyteris. Cum igitur
 , intelligamus Constantinum, principem omnium posterorũ
 , memoria post mortem celebrandum, diligenter elaborasse,
 , vt fides illa Nicææ literis prodita, accuratissimè perquisita
 , explorataq; esset, absurdum planè videretur, eo iam post ac-
 , ceptum baptismum vita defuncto, & ad tranquillitatem sibi
 , debitam profecto, aliquid in ea nouare, & tot sanctos con-
 , fessores, & martyres, qui huius doctrinæ authores inuento-
 , resq; fuerũt, quiq; vt vetus ecclesiæ catholicæ institutum
 , poscebat, omnino senserunt, inq; eo persisterunt perpetuò,
 , prorsus contemnerè. Quorum fidem ad tui imperij tempo-
 , ra Deus per Dominum nostrum Iesum Christum perduxit:
 , cuius auxilio sic tuum creuit Imperium, vt vniuersa nostri
 , orbis gubernacula teneas. At contra miserabiles illi & ani-
 , mo deplorato præditi, nefario impetu incitati, se impię do-
 , ctrinæ præcones denuntiare, & totum veritatis institutum
 , euertere studuerũt. Nam vt primum concilium ex tuo edi-
 , cto in vnum coiuerat, ij suæ fraudis inuolucrum aperuerũt:
 , & simul atque Germanium, Auxentium, & Caium, qui se-
 , ditionem & discordiam in ecclesiam induxissent, pari ab ec-
 , clesia doctrinæ dissensione irretitos animaduertebãt, tenta-
 , uerunt per dolum & tumultum aliquid noui decidere.
 , Quorum doctrina, quanquam vna erat, tamen omnem blas-
 , phemiarum aceruum longè superauit. Verùm vbi intelle-
 , xere eos neq; eiusdem opinionis esse, neque in perditis ip-
 , soꝝ conatibus cum illis conspirare, ad nostrum concess-
 , sum se transtulerunt, perinde ac si iam contrarium dogma
 , scriptis mandare in animo haberet. At non longo tempore
 , post, eorum mentes sunt facilè patefactæ. Quocirca vt stã-
 , tus ecclesiæ non eiusmodi iactaretur fluctibus, & omnia tur-
 , ba ac tumultu volutata miscerentur, per commodum vide-
 , batur, vt tum vetera decreta, firma stabiliaq; conseruarent,
 , tum isti à nostra communione excluderentur. Atque ob
 , hanc causam legatos ad tuam humanitatem cum literis mi-
 ,

SOCRATIS HISTORIAE

fimus, qui te doceant mentem & sententiam concilij: qui-
 bus mandatum dedimus, vt in primis authoritate testimo-
 nioq; legū olim rectè sancitarū veritatē confirmarent, atq;
 adeo tuæ significarent æquitati, non vt Vrsacius, & Valens,
 dixerint, pacem futuram esse, si instituta ritè & legitimè fa-
 cta euertantur (qui enim fieri potest, vt pacis authores sint,
 hi, qui pacis vincula ruperint.) Sed dissidium & seditio-
 nem inde cum in aliis ciuitatibus, tum in ipsa ecclesia Ro-
 mana excitatam fore. Quamobrem tuam clementiam obte-
 stamur, vt benignis auribus, & vultu placido nostram lega-
 tionem excipias, neque permittas quicquam nouari ad eo-
 rum contumeliam, qui vita excefferint, sed nobis facias po-
 testatem in his, quæ sunt à maioribus (quos quidem inge-
 niosè & prudenter, spiritu sancto illis opem ferente, omnia
 transgisse constat) decreta sancitaque firmè perseuerandi.
 Nam ea, quæ ab istis nouata sunt, in animis fidelium incre-
 dulitatem inserunt: in infidelium autem crudelitatem. Ob-
 secramus etiam, vt episcopis qui in exteris regionibus vi-
 tam degunt, quiq; & ætatis ingrauescentis molestia, & pau-
 pertatis onere grauius affligantur, tuo mandato copia fiat
 domum tuto reuertendi, quo ecclesiæ episcopis suis ab ipsis
 disunctis minimè destitutæ maneant. Porro autem istud
 præter cætera flagitamus, ne quid veteribus decretis vel de-
 trahatur, vel adijciatur omnino, sed omnia, quæ patris tui pi-
 etate, vsque ad hoc tempus obseruata fuerunt, rata firmaq;
 permaneant: neque de cætero nobis quicquam de iis rebus,
 facessas molestiæ, aut à nostris ipsorum ecclesiis nos abesse
 sinas, sed episcopi versentur cum suis ipsorum gregibus, vti
 precibus & Deo sanctè colendo tranquillis animis vacent,
 orentque sedulo pro tua salute, regno, & pace: quam Deus
 tibi benignus sempiternam largiatur. Legati nostri cū sub-
 scriptiones, tum nomina episcoporum ad te deferunt: qui
 etiam sacrarum literarum testimoniis tuam benignitatē, ea
 quæ ad decreta pertinent satis accuratè docere possint.

¶ Ista à Concilio conscripta fuere & per
 Episcopos missa.

Verum Vrsacius & Valens, qui illorum aduentum præ-
 uerterant, concilio apud Imperatorē obrectare, & fidei for-
 mulam, quam illi secum adduxerant, ostendere. Imperator
 verò

verò, quoniam eius animus ante Ariana opinione fuerat occupatus, contra concilium ira exardescere, Vrsacium, & Valentem permagno in honore habere cœpit. Quapropter episcopi à concilio missi, diu quidem apud illum commorati, nullum responsum auferre poterant. Tandem per alios, qui aderant, ad concilium scripsit Imperator ad hunc modum.

Epistola Constantij ad Concilium.

Constantius victor, & triumphator, Augustus, omnibus Episcopis, qui sunt Arimini coacti, S.

Quamquam vestræ sanctitati minimè obscurum est, nos maximam curam diuinæ & venerandę religionis Christi semper habuisse, tamen viginti Episcopos, quos vestra prudentia ad legationem vestram obeundam misistis, hoc tempore ad nostrum conspectum admittendi ocium non erat. Nam expeditio, quam contra Barbaros in præsentia suscipimus, nos districtos tenet. Et par est, uti nostis, ut ei, qui sit sacrosanctę religionis negocia tractaturus, animus ab omni cura & perturbatione liber sit. Proinde episcopis mandauimus, ut Adrianopoli nostrum reditum expectent, uti cum ea, quæ ad Remp. pertinent, ritè procurata fuerint, illa, quæ deinceps sint nobis proposituri, diligenter audire, expendereque possimus. Vestræ autem grauitati interea ne molestum sit eorum reuersione expectare, ut cum redierint, nostraq; retulerint ad vos responsa, illa, quæ sunt ex vsu ecclesię catholicę futura, possitis ad exitum perducere. Has literas ubi episcopi acceperant, hoc modo ad Imperatorem rescripsere. Tuę clementię literas accepimus, Imperator sanctissime, ex quibus didicimus tibi propter necessaria Reip. negocia, eo tempore non satis suppetiuisse ocij, legatos nostros in conspectum tuum admittendi: nobisq; in mandatis dare, ut illorũ reditum vsq; eo expectemus, quoad tua prudentia intellexerit, ea quæ sunt à nobis cõuenienter maiorũ nostrorũ institutis decisa decretaq;. Cæterũ iã per hæc literas cõfitemur, tibiq; cõfirmamus, nos à nostro proposito & sentetia nequaquã discessuros. Legatis etiã nostris idẽ imperauimus. Quamobrẽ rogamus te, ut placido vultu, literas hæc

SOCRATIS HISTORIAE

hæc à nostra modestia ad te perscriptas legendas cures :
 quinetiam ea, quæ nostris legatis obeunda imposuimus, æ-
 qui boniq; consulas. Illud præterea tua benignitas iuxta no-
 bis cum intelligit, quàm tristis & acerba res sit, tot ecclesias
 in tuis istis beatissimis temporibus episcopis suis destitu-
 tas esse. Et propterea tuam clementiam iterum atq; iterum
 obtestamur, Imperator Augustissime, vt ante hyemis aspe-
 ritatem, modò tuæ pietati ita visum fuerit, nobis ad nostras
 ecclesias reuertendi facias potestatem, quo possumus Deo
 patri omnipotenti, & Domino ac seruatori nostro Christo,
 filio eius vnigenito, pro tuo regno consuetas preces cū po-
 pulo fundere, sicut & ante semper fecimus, & adhuc facere
 non desistimus. Ista vbi scripsissent, & paululum temporis
 essent commorati, cum Imperator illis respondere dedigna-
 retur, singuli ad suas ipsorum ciuitates reuerterunt: Impera-
 tor verò quoniã iam antea in animo habebat Arianam o-
 pinionem per singulas ecclesias disseminare, & toto animo
 connitebatur, vt illa passim dominaretur, episcoporum re-
 uersionem tanquam ansam ad hoc facinus obeundum ar-
 ripuit, dixitque se ab illis propterea penitus contemptum,
 quod contra eius voluntatem concilium dimiserant. Quo-
 circa Vrsacio potestatem permisit, liberè contra ecclesias o-
 mnia pro arbitratu admittendi: præcepitq; vt fidei formula
 quæ in concilio Ariminensi perlegebatur, ad ecclesias Ita-
 liæ mitteretur, & illi qui ei subscribere nollent, expelleren-
 tur ab ecclesiis, aliiq; in eorum loca sufficerentur. Princi-
 pio igitur Liberius Episcopus Romanus, simul ac se illi fi-
 dei assentiri denegauerat, ab Vrsacio in exilium eiectus est,
 & Felix ecclesiæ Romanæ diaconus Arianæque sectæ addi-
 ctus, per vim & violentiam ab eodem Vrsacio ad eum dig-
 nitatis gradum delectus. Proinde omnes partes versus occi-
 dentem, propter nouas res, quæ ibi gerebantur, permagna
 perturbatione redundarunt, dum alij vi exturbati erât mis-
 sique in exilium: alii in eorum loca surrogati. Atque ista
 quidem edictorum imperatoris vi, quæ in partes occidentis
 miserat, confecta sunt. Liberius autem non multo post ab
 exilio reuocatus, sedem episcopatus propterea recuperauit,
 quod populus Romanus, seditione conflata, Felicem eccle-
 sia illa eiecerat, imperatorque ipse etiam inuito animo illis
consen-

consenserat. Vrsacius Italia relicta, iter in partes orientis cepit, & Nicam urbem Thraciæ contendit. Ac longo tempore ibi commoratus, aliud concilium in ea vrbe conuocat: fideiq; formulam, quæ Arimini prælecta erat, in Græcum sermonem, sicuti ante scripsimus, conuersam, cœpit ratam facere, publicare, tanquam ex concilio generali editam præconiis celebrare, & fidem Nicæ stabilitam appellare, eo plane animo, vt homines imperitos ac simplices nominis similitudine in errorem raperet. Nam illi eam putabant fidem fuisse, quæ Nicæ vrbis Bythinæ erat olim confirmata. Verùm istud commentum illis non magno adiumento fuit. Nam non longo post tempore patefactum est, illiq; ipsi ludibrio habiti. Sed de rebus in partibus occidentis gestis hæcenus disseruimus.

De Macedonij seuitia, et tumultibus ab eo concitatis.

CAP. XXX.

VEniamus iam ad eas res explicandas, quæ fuerunt eodẽ tempore in oriente confectæ, hincq; nostri sermonis capiamus exordium. Episcopi factionis Arianae editis imperatoris elati, multò audacius res moliri cœpere. Qua autem ratione concilium cogere aggressi sint, dicam equidem paulo post, vbi illa, quæ sunt ante concilium ab illis factitata, à me percursa fuerint. Acacius & Patrophilus, simul atque Maximum episcopum Hierosolomitano exturbarant, Cyrillum in eius locum substituerunt. Macedonius autem prouincias & vrbes Constantinopoli finitimas, ministris sui instituti contra ecclesias suffectis, prorsus euertere conatus est. Nam ecclesiæ Cyzicensis Eleusium creauit episcopum: Nicomedensis Marathonium: qui antea diaconus sub ipso Macedonio constitutus, multum operæ ac studij in rebus ad viroꝝ & mulierum monasteria spectantibus, sedulo procurandis collocauerat. Cæterum quo pacto Macedonius prouincias & vrbes Constantinopoli vicinas euertere studuerit, iam dicemus. Iste, vt supra dixi, cum episcopatũ acquisiuisset, eos, qui ipsius opinionẽ sequi non in animum inducerent, infinitis ferè affectit incommodis. Et non solum eos, qui in concilio ab eo dissentire existimabatur, expulit, verùm etiam Nouatianos (hos naq; fidem

*Vide So-
zo de eo-
dem.*

SOCRATIS HISTORIAE

fidem consubstantialis amplexari pro certo cognouit) eiecit, cruciatusq; illis infligit intolerabiles. Agelius autem illorum episcopus, salutem fuga quæsiuit. Multi præterea viri pietate eximij præhensi, tormentisq; propterea grauiter afflicti, quod cum illo communicare recusauerant. Quin etiam isti postquam tormenta illis infixierant, per vim mysteria cum ipsis participare coegerunt. Nam illorum ora ligno distendunt, mysteriaq; inserunt. Qui autem huc cruciatum subibant, ipsum aliis tormentis multo putauerunt acerbiorum. Mulieres porrò & pueros abripiunt, mysteriorum cum illis participes fieri compellunt. Quod si renueret quisquã, aut illis contradiceret, statim verberibus cæsus fuit, & post verbera in vincula & carcerem cõiectus, coactusq; alia acerbiorum cruciamentorum genera sustinere. Ex quibus vnum & alterum, quo sæuitia & crudelitas tum Macedonij, tum aliorum, qui id temporis erant propter eam rem nobilitati, apud omnes liquido constet, in medio ponam. Vbera mulierum, mysteria cum illis participare renuentium inter arcularum labra intrusa ferris absciderunt. Easdem item partes aliis mulieribus, partim ferro cãdente, partim ouis in igne, quàm maximè fieri poterat, calefactis exusserunt. Nouum hoc quidè cruciatus genus, etiam apud ipsos Gentiles non aliquando auditum, isti qui se Christianos profitebantur excogitarunt. Ista ab Auxanonte (cuius etiã in primo libro à me facta est mentio) vitã ad longissimum tempus protrahente, ipse equidem audiui: qui quanquã presbyter Nouatianæ erat ecclesiæ, tamè nõ exigua mala ab Arianis, cū nondum ad gradum presbyteri ascēderat, se perpessum memorauit. Nã vnã cum Alexandro Paphlagone, qui religiosum & seuerũ vitæ genus cū eo exercebat, in carcerẽ coniectũ esse, multas plagas sustinuisse, tormenta tolerasse: Alexandrũ aut propter plagarum acerbitatẽ in carcere occubuisse: qui quidem ad dexterã homini iam in sinũ Byzantiũ (quod Ceras, id est Cornu vocatur) nauigãti, prope fluminũ ripas sepultus est: vbi etiã ecclesia est Nouatianorũ, Alexandri nomine nuncupata. Diruerunt autẽ, Macedonij mandato, cū alias ecclesiãs in aliis ciuitatibus, tũ eam etiam Nouatianorũ in vrbe Constantino poli sitã, quæ non multũ abest Pelargo. At cur istius separatim mentionẽ fecerim, iã, sicut ab Auxanonte viro, qui vitã lon-

longissimè propagavit, ipse accepi, dicturus venio. Lege Imperatoris, & Macedonii violentia, mandatum est, vt ecclesie illorum, qui fidem complectebantur Consubstantialis, prorsus vastarentur. Ista lex vna cum violentia Macedonii iuncta, etiam ad istius ecclesie euerfionem impellebat.

Qui autem ad hoc facinus obeundum erant comparati, illud prope aggrediuntur. Atque me quidem de populo Nouatianorum cogitantem quantam animi propensionem ac studium erga suam ipsorum ecclesiam declararint, quantam etiam benevolentiam illi, qui tum Arianorum malevolentia erant ecclesiis exturbati, iamq; easdem cum pace occupant, aduersum eos ostenderint, permagna certe incessit admiratio. Nam vt primum illi, quibus datum erat ecclesie demoliendae negocium, facinus aggrediuntur, ingens turba Nouatianorum, aliorumq; nonnullorum, qui doctrinam Cō substantialis cum illis tenebant, eam ecclesiam diruit, inque alium locum ædificium transfert. Locus autem è regione ciuitatis iacet, Sycæq; dicitur: atque decima tertia regio est vrbis Cōstantinopolis. Exiguo admodum temporis spatio ecclesia translata fuit: quippe cum tam frequens populi multitudo maxima cū animorū alacritate ad eam transferendam se cōtulisset. Nam vnus tegulas, lapides alter, tertius ligna, alius aliā materiam Sycas deportauit. Mulieres quoque & pueri operi illi subsidio fuere, vtpote qui se precādi munere ritè perfunctorum, magnumq; facturos lucrum propterea arbitrabatur, quod ad ædificia Deo cōsecrata suam operā & laborem assidue conferrent, Eo pacto igitur Nouatianorū ecclesia tum Sycas translata fuit. Postea, verò, mortuo Constantio, Iulianus Imperator, locū vbi primū fuerat exstructa, Nouatianis dari iussit. Populus autē in ecclesia de integro ædificāda, eodē modo quo prius, laborare, materiā trāsferre, in loco, quo initio steterat, cōstruere aggreditur. Et cū eam multo illustriore quàm antea effecisset, Anastasie id est resurrectionis donauit nomine. Illa igitur ecclesia, post, regnante Iuliano, vti modò dixi denuò erecta est. Per id tēpus cū qui ecclesie catholice fidē tuebatur, tū Nouatiani, erant pariter exacti. Et quoniā Catholici in templis, in quibus coibāt Arriani, versari abhorrebāt, idcirco in tribus aliis ecclesiis (totidē enim Nouatiani in illa vrbe habebāt ecclesias)

vna

SOCRATIS HISTORIAE

vnà cum Nouatianis conuenientes mutuo inter ipsos preces peragunt: parumq; aberat, quin fuissent vnitatis concordieq; vinculo inter se colligati, si Nouatiani, quo vetus suū institutum seruarent, non penitus recusassent. Sed tamen in aliis rebus tam singulari beneuolentia & amore se inter ipsos complectebantur, vt alter pro altero lubens mortē vellet oppetere. Exagitabantur igitur pariter non Constantinopoli solum, sed in aliis etiam prouinciis & ciuitatibus. Etenim paulò post Cyzici Eleusius, qui erat illius ecclesiae episcopus, Macedonij exemplum imitatus, se contra Christianos armare, eos vbique affligere, tormētis vexare coepit. Ecclesiamq; Nouatianorum, quæ erat Cyzici solo æquare. Macedonius autem sceleribus ab eo patris Colophonem, vt aiunt, addidit. Nam vbi auditione accepit cum apud Paphlagonas, tum Mantinij in primis, multos esse sectæ Nouatianæ deditos, intellexeritq; tantā hominum multitudinem per viros ecclesiasticos non posse commodè sedibus suis expelli, de sententia imperatoris quatuor militum cohortes in Paphlagoniam mittendas curauit, quo illi armatis hominibus perterrefacti, opinionem Arianam admitterent. Qui verò Mantinium incolebant, ardenti religionis suæ studio incitati, fidenter & animo contumaci contra milites gradi: & ingenti agmine coacto, pars falces longas prædere, pars ascias arripere, pars arma, quæ erant fortuitu oblata, sumere, omnes pariter in aciem procedere coeperunt. Cū ad manus ventum esset, Paphlagonum complures cadunt: milites, paucis exceptis, omnes intereunt. Quanquam multi sunt Paphlagonas, qui ista commemorant, tamen ab rustico Paphlagona, qui se prelio illi interfuisse dicebat, ipse equidem accepi. Ac tamen multæ fuere res eiusmodi à Macedonio Christianæ religionis ergo præclarè gestæ, in quibus, cædes, pugnæ, seruitus, bella denique intestina acciderant, istud tamen facinus, non solum apud eos, qui erant ab eo læsi, verum etiam apud suos, ingentem odij flammam meritisimo contra ipsum incendit, imperatorisq; animus partim hac de re ab eo fuit abalienatus, partim alia de causa, quæ eius generis fuit. Templum, vbi locus, in quo corpus Imperatoris Constantini erat conditum, ruinam minari: populus, qui intus versabatur, seque precibus dicauerat,

pro-

propterea in magno metu esse cœpit. Macedonius igitur habebat in animo Imperatoris ossa transferre, ne templi ruina loculus ille penitus obrueretur. Populus, re intellecta, eius conatum prohibere aggreditur: inquam nefas esse imperatoris ossa transferre: nam perinde esse, ac si è sepulchro effoderentur. Populus in duas dispertitur factiones: quarum altera corpus mortuum translatione illa minimè lesum iri, altera facinus impium factu affirmabat. Qui autem Cōsubstantialis fidem amplexabantur, communi consensu factō resisterunt. At Macedonius eos, qui reluctabantur, parui ducens, corpus in Ecclesiam, in qua corpus Acacij martyris erat repositum, transfert. Quo factō à multitudine dissentiente prope in eam ecclesiam concurritur. Factio aduersatur factioni: & absque mora manu grauitè confli- gitur. Tanta hominum cades facta est, vt tota ecclesia pars inferior sanguine redundaret. Idemque ab ipso porticu ec- clesie adiuncto, ad ipsam plateam factum esse cernebatur. Quod facinus miserabile & calamitosum, vbi ad aures im- peratoris peruenit, illum contra Macedonium ad iracun- diam prouocauit, tum quòd tanta hominum occidisset mul- titudo, tum quòd patris corpus absque ipsius consilio trans- ferre ausus esset. Administratione igitur partium imperij versus occidentem Iuliano Cæsari tradita, in orientem ipse proficiscitur. Sed quo modo Macedonius postea breui, e- piscopatu abdicatus sit, tamq; exiguas pœnas pro tantis sce- leribus dederit, dicam equidem paulo post.

De Concilio Seleucia vrbs Cæsariæ coactō.

CAP. XXXI.

DE altero concilio quod effigiem concilij Ariminensis pulchrè expressit, quodque Imperatoris edicto fuit in oriente conuocatum, iam narraturus accedo. Tametsi illi ante visum erat, vt episcopi Nicomediae vrbis Bythi- nia: cogentur, tamen terræ motus maximus qui illic acci- debat, (cuius impetu Nicomedia corruit) impedimento fuit, quo minus in eo loco conuenirent. Istud factum est, Tatiano & Cerealiō Coss. quinto Calend. Septembris. Consilium igitur inibant de concilio ad urbem Nicæam, quæ finitima est, transferendo. At mutata sententia, consti-

tuerunt

SOCRATIS HISTORIAE

stituerunt Tarfi ciuitatis Ciliciæ conuenire. Verùm neque
 istud omnibus placuit, & propterea Seleuciæ vrbis Isauriæ,
 quæ Aspera dicitur, conueniunt. Ista vno eodemq; anno,
 Eusebio & Hypatio Coss. confecta sunt. Episcopi, qui ibi
 conuenerunt erant numero centum & sexaginta. Aderat
 vna cum illis Leonas, vir in aula Imperatoris perquam illu-
 stris: quo præsentem, erat Imperatoris edicto mandatum, vt
 de fide quæreretur. Lauricio etiam militum, qui in Isauria
 versabantur, duci erat imperatum, vt episcopis, si quid opus
 esset, suppeditaret. In eo loco igitur ad quintum Calend.
 Octobris congregati, disputauere, resq; disputatæ per scri-
 bas in publicos commentarios relatæ fuere. Nam aderant
 scribæ manu celeri & exercitata, qui ea, quæ dicebantur, no-
 tarent. Quæ quidem in libro Sabini, qui collectio rerû in
 conciliis gestarû inscribitur, vberius fusiufq; explanata, stu-
 diosus quisq; poterit pro arbitratu euoluere: nos autem ca-
 pita rerum dûtaxat breuiter perstringemus. Primo die, quo
 conueniebant, Leonas iussit vt quod cuiq; videretur, id li-
 bere quisque proponeret. Verû qui aderant, dicebant non
 prius debere quicquã in quæstionẽ vocari, quàm illi, qui in
 concilio desiderabantur, aduêrent. Desiderabantur enim
 Macedonius episcopus Constantinopolis, Basilus Ancy-
 ræ, & alii nonnulli, qui suspicantes se in crimẽ adductû iri,
 dedita opera abfuerûnt. Macedonius aut̃ morbû causam ab-
 sentiæ suæ attulit: Patrophilus lippitudinẽ. Et ob hanc cau-
 sam sibi in suburbiis Seleuciæ necessariò cõmorandum di-
 xerunt. Singuli alij alias causas, cur abessent, afferunt. Cum
 verò Leonas diceret, etiã illis absentibus, quæstiones oportere
 poni, responderunt episcopi nihil ante in disputationem
 vocandum, quã in eorû vitam & mores, qui accusabantur,
 esset diligenter inquisitû. Fuerant enim iam ante in crimen
 vocati, Cyrillus Hierosolymorum episcopus, Eustathius
 Sebastiæ vrbis Armeniæ, & quidam alii. Ex qua re grauis
 contentio inter eos, qui aderant, orta est, dum pars eorû vi-
 tam, qui infimulabantur, ante excutiendam esse dicebat, pars
 nihil prius quærendum, quàm de fide disceptaretur. Cõten-
 tionem illã anceps & ambigua Imperatoris sententiã excita-
 uit. Nam literæ ab eo ad concilium afferebantur, quæ nunc
 hoc, nunc illud primum quærendum praceperunt. De qua
re con-

re contentio exorta, eos qui aderant, variè distraxit: quæ res origo & causâ fuit, vt illud conciliû Seleucię in duas partes diuideretur: quarû alteri Acacius Cæsareæ Palæstinæ episcopus, Georgius Alexandria, Vrsacius Tyri, & Eudoxius Antiochiæ, cum quibus triginta alij solum conspirabât, præfuere: alteri Georgius Laodicææ vrbis Syriæ episcopus, Sophronius Pompeiopolis, quæ est in Paphlagonia, & Eleusius Cyzici: cû quibus alij etiam cõplures consentiebant. Postquam illa vicerat sentetia, quæ primû de fide quæri voluit, qui à partibus Acacij stabant, fidẽ Nicænam plane abrogandam, aliam nouã describendã significarunt: qui aut̃ alteri parti adhærescebant (ac plures hi quidem numero fuere) alia omnia in cõcilio Nicæno confirmata approbarunt, verbo Consubstantiali solo reiecto. Quare cû multû ipsi inter se vsq; ad vesperû digladiati fuissent, tandẽ Siluanus ecclesiæ Tarfensis antistes magnopere vociferabatur, nullã nouã fidei formulã describendam esse, sed eam, quę Antiochię in dedicatione ecclesiæ descripta erat, debere integrã feruari. Quod cû dixisset, qui partibus fauebât Acacij, se inde subducunt: qui aut̃ in alteram partẽ propendebant, fidei formulam Antiochiæ editã in mediû proferunt: atq; illa perlecta, conciliû illo die dimissum est. Postridie verò in Ecclesiam, quæ est Seleuciæ conuenientes, foribus occlusis, fidei formulam perlectã, subscriptionibus suis ratã fecere. Pro illis autem, qui desiderabantur, eorum lectores & diaconi ibi tũ presentes (nam qui aberant, per illos se fidei decisionem approburos significauerant) illi formulæ subscripserunt.

Quòd in Seleucensi Concilio Acacius Cæsariensis aliũ fidei libellum recitauit, quodq; Acacius & illius sententiæ sectatores, vbi ab occidente redierat Imperator, Constantinopoli coeuntes, Conciliũ Ariminense ratum habuerunt, atque illi addiderunt nonnulla. CAP. XXXII.

AB Acacio aut̃, & eius factione, ea quę in illo cõcilio cõfecta erãt, propterea admodũ reprehēdebantur, quod occlusis ecclesiæ ianuis, illis subscripserant. Nam ea, inquit Acaci⁹, quæ in occulto gerũtur, vt neutiquã probari debēt,

x 2 ita

SOCRATIS HISTORIAE

ita sunt plena admodum suspicionis. Ista vero dicebat, quod esset illi in animo alteram fidei formulam, quam habebat ibi paratam, introducere. Eam igitur coram principibus Lauricio, & Leona perlegit: ad quam solam stabilendam omni cura & cogitatione incubuit. Secundo die concilij hæc acta sunt, præterea nihil. Tertio autem, Leonas dedit operam, ut pars utraque in vnum conueniret: quo quidē die, tum Macedonius episcopus Constantinopolis, tum Basilus Ancyre aderat. Et cum vtrique isti in vnam eandemque partem, Acacio videlicet aduersariam, conuenissent, Acaciana factio ad concilium accedere noluit: oportere inquiens, eos ante è conuentu eijci, qui etiam dudum abdicati fuerant, & in præsentia erant insimulati. Vbi vero post multam contentionem, hæc pars fuit superior, decedunt è concilio hi, qui erant accusati: in quorum locum Acacius cum suis succedit. Tum Leonas ait quidem libellum sibi ab Acacio datum: sed quod fidei formula esset, quæ eorum sententiã, qui partes cõtrarias tuebatur, partim clam, partim palam & aperte oppugnabat, eos prorsus celauit. Postquam illi, qui aderant, conquievere, pro certo persuasi libellum nihil minus, quàm fidei formulam in se complecti, tandem fidei formula ab Acacio composita cum præmio perfecta est: quæ se habet ac hunc modum. A nobis quidem, qui heri, hoc est ad quintum Calend. Octobris ex Imperatoris edicto Seleuciæ vrbis Isauriæ conuenimus, summo studio laboratum est, ut pax in ecclesia ritè conseruaretur, deq; fide, sicut prophetiæ, euangelicæq; voces nos docent (ita enim à sanctissimo Imperatore Constantio imperatum est) tranquillitas sedatisq; animis disceptaretur: atque adeo nihil contra sacras scripturas in fidem induceretur ecclesiasticam. Verùm cum essent in concilio nonnulli, qui hos contumeliis vexare, illis ora obturare, loquiq; prohibere, alios inuitos excludere, quosdam ex variis prouinciis, qui erant abdicati, sibi adiungere, eosque contra veterem ecclesiæ canonē secum habere cœperunt, ipsum concilium (sicut Lauricius illustrissimus prouinciæ præfectus suis ipsius oculis coram aspexit) grauissimo tumultu sane redundauit. Sed quorsum ista? ut intelligatis nos fidem in dedicatione ecclesiæ Antiochiæ celebrata, expositam confirmatamque minimè reij-

scree

cere, sed eam hic in medium adducere: quandoquidem con-
 stat patres nostros id temporis in hac proposita de fide cō-
 trouersia inter ipsos consensisse. Verum quoniam hæ vo-
 ces, Consubstantiale, & æquiconsubstantiale, cum superio-
 ribus temporibus, tum adhuc nonnullorum animos mag-
 nopere conturbant, atque adeò fides à quibusdam, qui filiū
 patri dissimilem asserunt, nouari dicitur, idcirco tum Con-
 substantiale, tū æquiconsubstantiale, tanquam verba à scri-
 pturis abhorrentia reijcimus, tum verbum dissimile, anathe-
 ma indicamus: omnesq; qui illius verbi patrociniū susci-
 piunt, ab ecclesia ducimus penitus alienos: similitudinem
 autem filij cum patre fatemur manifestò, Apostolum sicuti
 de filio sic loquentem: qui est imago Dei inuisibilis. Con-
 fitemur igitur & credimus in vnum Deum, patrem omnipo-
 tentem, effectorem cælorum & terræ, visibilium & inuisibi-
 lium. Credimus quoque in dominum nostrū Iesum Chri-
 stum filium eius, ab eo sine affectione ante omnia secula ge-
 nitum, Deum verbum, de Deo vnigenitum, lumen, vitam,
 veritatem, sapientiam: per quem omnia facta sunt, tum quæ
 in cælis, tum quæ in terris, siue visibilia illa sunt, siue inuisi-
 bilia. Hunc credimus in fine seculorum carnem ex sancta
 virgine Maria sumpsisse, quo peccata deleret: hominem fa-
 ctum, passum pro peccatis nostris: resurrexisse, ascendisse in
 cælos, sedere ad dexteram patris: & iterum venturū cum glo-
 ria iudicare viuos & mortuos. Credimus etiam in spiritum
 sanctum, quem & paraclitum nominauit seruator & Do-
 minus noster, promittens se eum post discessum suum di-
 scipulis suis missurum, quem quidem misit: per quem cre-
 dentes in ecclesia, & baptizatos in nomine patris, & filii, &
 spiritus sancti sanctificat. Eos autem, qui præter hanc fidem,
 aliam vllam prædicauerint, alienos ab ecclesia catholica de-
 cernimus. Ista quidem fidei formula fuit ab Acacio edita.
 Cui tum Acacius, tum eius factionis fautores, qui totidem
 erant numero, quot paulo ante commemorauimus, subscripsere,
 Contra quam, cum erat perlecta, Sophronius Pompeiopo-
 lis, quæ est in Paphlagonia episcopus, ad hunc modum (eius
 enim verbis vtar) vociferatus est. Si noua in dies singulos
 nostræ ipsorum voluntatis & sententiæ prolatio, sit formu-
 la fidei, fieri non potest quin accuratam veritatis perceptio-

SOCRATIS HISTORIAE

nem finis breui prorsus amissuri. Sic Sophronium locutum accepimus. Ac meo quidem iudicio, si qui eum ætate antea-
 irent, quiq; eodem tempore cum illo viuerent, eadem sem-
 per de fide concilij Nicæni in animos induxissent, omnis
 feditiosa & turbulenta concertatio prorsus extincta fuisset,
 hicq; temerarius & inconsultus in ecclesijs tumultus mini-
 mè dominatus esset. Verù quæadmodum istæ res se habeant,
 viderint illi, qui plus intelligentia pollent & solertia. Vbi
 multa de hac re, deq; illis, qui essent in crimen vocati, ipsi
 inter se vltro citroq; agitaissent, tandem cõcilium dimissum
 est. Quarto die in vnũ conueniunt omnes: iterum verbis di-
 gladiantur. Inter quos Acacius talem profert sententiam: si
 fides Nicæna erat olim semel mutata, & postea sapius, quid
 obstat, quo minus etiã iam noua fidei formula describatur.
 Ad quem respondet Eleusius, concilium in præsentia con-
 uocatum, non vt discat, quæ didicerit, neq; vt fidẽ accipiat,
 quam nõ habuerit, sed vt in fide patrũ incedens, ab ea ad ex-
 tremum vitæ diẽ non aliquando dessectat. Eiusmodi verbis
 Acacij sententiæ occurrit Eleusius, fidem patrũ, fidẽ Antio-
 chiæ expositam appellans. At huic etiã poterit occurrì: quo
 modo, Eleusi, eos qui Antiochiæ cõuenerunt, patres nomi-
 nas, illorũ aut maiores, patres esse inficiaris? Nam qui fuere
 Nicææ coacti, fideiq; Cõsubstantialis consenserunt, magis
 propriè patres vocari poterunt, tum quòd tẽpore antecesser-
 rint, tum quòd qui cõuenerunt Antiochiæ, ab illis fuerunt
 ad sacerdotij dignitatem delecti. Quod si qui Antiochiæ
 erant congregati, suos ipsorũ patres è medio sustulerũt, isti
 illorum polteri parricidas imprudentes sequuntur. Et qua
 ratione, amabo, eorũ delectum & ordinationẽ tãquam pro-
 bam & spectatã amplectuntur, fidem autẽ tanquã parum sin-
 ceram & exploratã irritã faciũt? Nam si illi spiritũ sanctum
 non habebant, qui per ordinationem in quẽq; descẽdit, isti
 sacerdotij functionem non acceperunt. Qui enim accipere
 potuerunt, cũ daretur ab iis, qui eũ non habuere? Ista certè
 contra Eleusii sententiam non incitè dici possunt. Rursus
 alia inter ipsos orta est quæstio. Cũ enim factio Acaciana
 in fidei formula perlecta, filiũ dei patri similẽ assereret, quẽ-
 sitũ est, quã in re filius similis esset patri. Respõdet Acacius,
 filiũ non substantia, sed sola voluntate patri similẽ esse. At
 pars

pars aduersaria, eum substantia patri simile constanter affirmavit. De hac controuersia toto illo die certatum est. Acaciusq; probè refutatus, cum quæreretur ab illo qua ratione in libris, quos ediderat, filium omnibus in rebus patri similem affirmasset, iam tamen similitudinè, quæ est filij cū patre per substantiam omnino denegaret. Tum ille, nemo, inquit, vel qui olim, vel qui recètiore memoria fuit, ex libris, quos scripsit, diiudicari solet. Cū multa essent de hac controuersia in vtramq; partè accuratè disputata, nec tamè posset de illa inter eos conuenire, Leonas confurgens cōcilium dimisit. Hunc igitur exitū habuit concilium Seleuciæ congregatū. Postridie eius diei, cū de eo continuando rogaretur, noluit denuò cū illis in vnū locū cōuenire, sed dixit se ab Imperatore missum, vt cōcilio concordi interesset: Verū cum nonnulli inter se dissentiant, nō possum, inquit, adesse. Abite ergo, & in ecclesia nugas agite. Qua re confecta, Acaciana factio occasionè, quam optabat, sibi oblatā existimans, ad concilium denuò accedere recusauit. Qui autè alterius partis erant, in ecclesiam cōuenientes, accersunt Acacium cū suis, quo de Cyrillo Hierosolymorum episcopo decideretur. Hoc loco intelligam⁹ oportet, Cyrillū iam antea accusatū fuisse (qua de re certè non habeo dicere) & ab episcopatu summotū, quod sepe numero, vt de eo decerneretur, accersitus, iā per duos annos cōtinuos, vti eo pacto criminatiōe elaboraret, nō omnino cōparuerit. Qui simul atq; de gradu esset deiectus, appellationis libello ad eos, qui eū deiecerāt, missus, ad maiores iudices prouocauit. Cui quidè appellationi Constantius Imperator suffragatus est. Atq; à Cyrillo solo ac primo perinde ac si res apud laicos iudices ageretur, contra canonis ecclesiastici consuetudinè prouocatum est. Tandem Seleuciam, vti de eo iudicium fieret, aduentauit: & ob eam causam episcopi Acacium cum suis, vt paulò ante dixi, accersiuere, quo nō solū de Cyrillo, verū etiam de illis reis, qui ad partes Acacij cōfugissent, decideretur. At vbi sapius accersiti non venerunt, illum ipsum Acacium, Georgiū etiā episcopum Alexādriæ, Ursaciū Tyri, Theodorū Chæretaporum vrbis Phrygiæ, Theodosiū Philadelphiæ, quæ est in Lydia, Euagriū Mitylenes insula, Leontium Tripolis Lydiæ, & Eudoxium, qui primum Germanici episcopus fuit,

*Milene
iam dici-
tur quæ
olim Les-
bos.*

S O C R A T I S H I S T O R I A E

postea episcopatum Antiochia, quæ est in Syria, callide ad-
deptus est, abdicarunt: quinetiam Patrophilum, quòd à Do-
rotheo presbytero accusatus, & ab ipsis accersitus, non mo-
rem gessisset. Atque istos solum abdicarunt. Asterium au-
tem, Eusebium, Abgarum, Basilicum, Philum, Philedium,
Eutyrium, Magnum, & Eustathium excommunicarunt, de-
creueruntq; ut vsque eo in illo manerent statu, quoad ipsi
pro se respondentes sua crimina diluerent. Quibus rebus
confectis, literisque ad abdicatorum ecclesias, quæ illas de
ipsis certiores facerent, datis, Anianum loco Eudoxij epi-
scopum Antiochiæ constituunt: quem factio Acaciana com-
prendens, Leonæ & Lauricio tradit. Illi eum in exilium e-
ijciunt. Quo facto, episcopi qui Anianum ordinauerant,
contestatione apud Leonam & Lauricium cõtra factionem
Acacianam vsi sunt: qua significabant iudicium concilij vi-
olatum esse. Cæterum vbi nihil profecere, Constantinopo-
lim, quò de rebus à se in cõcilio iudicatis imperatorem do-
cerent, rectà contendunt. Imperator enim à partibus ad oc-
cidentem spectantibus eo reuerterat, & per idem tempus
proconsulum magistratu penitus sublato, Honoratum præ-
fectum Constantinopolis creauerat: At Acacius eos præuer-
tens, calumniari apud Imperatorem, eumq; docere cõcepit, fi-
dei formulam ab illis editam non admittendam esse. Itaque
Imperator rem indignè & grauitè ferens, constituit eorum
societatem diuellere, legeq; sancit, eos, qui publica mu-
nera obirent (etenim nonnulli eorum ad publicam admi-
nistrationem acciti, pars ex senatorum numero fuerunt, pars
magistratus gesserunt in prouinciis) ad priuatam vitæ con-
ditionem redigerentur. Dum ita turbatum est, Acacius &
eius fautores mansere Constantinopoli, & Episcopis Bythi-
niæ accersitis aliud concilium constituere. Erant omnes nu-
mero quinquaginta: quibus accessit Maris episcopus Chal-
cedonis: fidei formulam Arimini perlectam, ante cuius ini-
tium consules scripti erant, cõfirmant. Quam quidem hoc
loco citare esset superuacaneum, si modò illi ipsi nihil adie-
cissent: sed quoniam quædam verba sunt ab illis adiuncta,
necessum est denuò eandem hic ascribere, quæ ita se habet.

Credimus in vnum Deum, patrem omnipotentem, ex
quo omnia. Et in vnigenitum filium Dei, ante omnia sæcula,
& ante

, & ante omne principium ex Deo genitum: per quem omnia
 , facta sunt, visibilia & inuisibilia: vnigenitum solum ex solo
 , patre genitum: Deum de Deo, similem patri, qui eum genuit
 , secundum scripturas: cuius generationem vt litera sacra te-
 , stantur, nemo nouit, nisi solus pater, qui genuit illum. Huc
 , nouimus vnigenitum Dei filium a patre missum, descendisse
 , de caelis, sicut scriptum est, & cum discipulis versatum esse,
 , & vniuersa oeconomia plene iuxta patris voluntatem exple-
 , ta, crucifixum, mortuum, & sepultum: descendisse ad infe-
 , ros, quem infernus ipse exhorruit: resurrexisse a mortuis
 , tertia die, versatum denuo cum discipulis: & diebus quadra-
 , ginta completis, assumptum ad caelos: sedere ad dexteram
 , patris: venturum in extremo resurrectionis die, cum gloria
 , patris, vt reddat vnicuique iuxta opera sua. Et in spiritum
 , sanctum, quem ipse vnigenitus Dei filius, Christus, Domi-
 , nus & Deus noster promisit se missurum generi humano pa-
 , traelatum, sicut scriptum est, spiritum veritatis, quem ipse mi-
 , sit, quando assumptus erat ad caelos. Nomen autem substan-
 , tia, quod a pluribus simpliciter ponebatur, quia erat igno-
 , ratum a populo, offendiculum peperit. Visum est igitur, quo-
 , niam in scripturis nusquam reperitur, illud omnino tollere,
 , & quia diuina eloquia de patris & filij substantia non me-
 , minerunt, nullam deinceps illius facere mentionem. Nam
 , substantia patris, & filij, & spiritus sancti, ne nominari qui-
 , dem debet. Nos ergo, sicut litera sacra nos docent, filium
 , similem patri dicimus. Omnes autem haereses, & quae iam
 , antea condemnatae sunt, & quae nuper exortae, si huic fidei
 , formulae modo expositae repugnent, anathema sunt. Ista
 , Constantinopoli eo tempore fuere perlecta. Nos vero tan-
 , quam labyrintho formularum tandem aliquando percursio,
 , earum numerum iam breuiter colligamus. Post fidei formu-
 , lam in concilio Nicano editam, duas alias Antiochiae tem-
 , pore dedicationis ecclesiae descripserunt episcopi: tertia ab
 , episcopis qui cum Narcisso erant in Gallia facta est, imperato-
 , riq; Constantino donata. Quarta per Eudoxium episcopis Ita-
 , liae missa. Tres item Sirmij scriptis proditae: quarum vna cum
 , Coss. ascriptis Arimini perlecta est. Octaua Seleucia diuul-
 , gata, quam factio Acaciana legendam curauerat. Nona &
 , vltima Constantinopoli cum accessione exposita. Erat naq;

SOCRATIS HISTORIAE

huic adiunctum, ut nulla mentio vel substantiæ, vel substantiæ diuinæ fieret. Cui Viphilas Gotthorum episcopus, tum primum assentiebatur. Nam ante illud tempus Theophili vestigia, qui episcopus Gotthorum erat, quiq; cū concilio Nicæno interesset, ei subscripserat, sedulo persecutus, fidē Nicææ stabilitā amplexatus est. Sed de istis hoc modo.

*Quod abdicato Macedonio, Eudoxius episcopatum
Constantinopolitanū capescebat, & de Eustathio
Sebastiæ Episcopo. CAP. XXXIII.*

AB Acacio etiam, Eudoxio, & illorum fautoribus Constantinopoli maximo studio & contentione animi laboratū est, ut per ipsos vicissim aliquot partium aduersariarū gradu episcopali mouerētur. Atq; illud nos minime præterire debet, utraq; partē non propter religionē, sed propter alias causas istas abdicaciones decreuisse. Nam tametsi fide dissentiebant, tamen in se ipsis mutuo abdicandis, fidē, alter alterius, neutiquā insimularunt, sed, qui stabant ab Acacio inā imperatoris, quā cū contra alios, tū contra Macedonium in primis animo conceptā explere nitebantur, tanquā ansam opportune arripientes, primū Macedoniū episcopatus dignitate deiciūt, tū quod multiplicis cædis author fuisset, tū quod diaconū in stupro deprehensum recepisset in cōmunionem: Eleusium deinde, Cyzici episcopū, quod Heraclium quendā Herculis Tyrij sacerdotē in præstigiis magicis cōpertum baptizauerat, & ad gradū diaconatus extulerat: tū Basilium, qui & Basilas nominabatur, quiq; Marcelli loco ad episcopatū Ancyræ delectus erat, quod certū hominem tormētis vexauerat, vinculisq; constrictū in carcerē cōcluserat, quod calūnias quibusdā contexuerat, deniq; quod per epistolas Affricæ ecclesias perturbauerat: deinceps Dracontū, quod relicta Galatia in Pergamū secesserat. Abdicarunt præterea Neonam episcopū Seleuciæ, vbi conciliū habitū fuerat: Sophroniū etiā Pōpeiopolis, quæ est in Paphlagoniā episcopū: Elpidium Satalorū vrbis Macedoniae episcopū: Cyrillum Hierosolymorum: & alios deniq; ob alias causas. Eustathio autē episcopo Sebastiæ, quæ est in Armenia, ne sui quidē purgandi dabatur potestas, quod ab Eulanio suo ipsius patre, & episcopo Casareæ Cappadociæ iam pridem

pridem propterea abdicatus fuerat, quod se habitu sacerdotij dignitati parum decoro congruenteq; vestiuerat. In locum verò Eustathij, Meletium episcopum, de quo dicā paulo post, susceptum intelligendum est. Eustathius porro in concilio Gangrensi propter illum conuocato, postea etiam condemnatus est, quod postabdicationem suam in concilio Cæsareæ habito factam, præter ritus & consuetudines ecclesiasticas multa tentasset. Nam nuptias fieri prohibuit: à cibis abstinendum docuit. Vnde nonnullos, qui nuptias contexerant, à connubio segregauit: & illis, qui ecclesias detestabantur, persuasit, vt in ædibus suis communionem facerent. Seruos simulatione pietatis dominis abstraxit, ipse Philosophi habitū gestauit, suosq; sectatores peregrino vestitus genere vt compulit: mulieres tondendas curauit: ieiunia præscripta auerlanda, dominicisq; diebus ieiunādū docuit: in ædibus coniugatorum præcationes fieri vetuit: benedictionem & communionem presbyteri habentis vxorem, quam lege, cum esset laicus, duxisset, tanquam scelus, declinandam præcepit. Quem quidem, cum alia complura his similia fecisset, docuissetque, concilium, vt dixi, Gágris in Paphlagonia coactum, gradu episcopali dimouit, eiusq; dogmata anathemate damnauit. Verum hæc postea gesta sunt. Id téporis verò, exturbato Macedonio, Eudoxius sedem Antiochiæ Constantinopolis sede posteriorē ducens, episcopus Constantinopolis per Acacium & eius familiares renunciatus est: qui quidem contraria suis ipsorum decretis imprudentes sanciebant. Nam Dracontio abdicato, Eudoxium, qui iam secundo ab vno ad alterum episcopatū se transtulerat, in sede episcopali Constantinopolis collocauerunt, inq; ea re suis ipsorum dogmatis sunt magno opere aduersati. His rebus cōfectis, fidei formulā Arimini perlectā cū sua accessione tanquā ritè descriptam stabiliuerūt, palā emiserūt, dederuntq; in mādatis, vt qui illi subscribere renuerent, per imperatoris edictū exilio multarentur. Et cū multis aliis in oriēte, qui eadē cū illis tuebātur opinionē: tū Patrophilo, episcopo Scythopolis (hic nāq; Seleucia ad suā ipsi⁹ ciuitatē rectā cōtēderat) res à se cōstitutatas significarūt. Vbi Eudoxi⁹ eximię vrbis Cōstantinopolis episcopus erat declaratus, ampla illa ecclesia, quæ sapiētīę noīe nūcupatur, dedi-

SOCRATIS HISTORIAE

dedicata fuit, ad decimum consulatū Constantij, ad tertium autem Iuliani Cæsaris, quinto Calend. Martij. Eudoxius in illius episcopatus sede collocatus, hanc primam emisit sententiam, quæ est multis in ore, *Patrem impium esse, Filium autem pium.* Vnde cum tumultus & seditio orta esset, nihil inquit, hoc vestros animos conturbet. Nam pater impius est, quia colit neminem: Filius verò pius, quia patre colit. Quæ cum dixisset Eudoxius, tumultus repressus est, ingeniq; risus tumultus loco ecclesiæ obortus. Atque hoc eius dictum ad hodiernum diem habetur pro ridiculo. Eiusmodi igitur nugæ errorum auctores astute commenti, inque verbis tam friuolis occupati, ecclesiæ concordiam diemerunt. Concilium autem Constantinopoli congregatum ad hunc exitum venit.

De Meletio Antiochiæ Episcopo.

CAP. XXXIII.

Sequitur iam, ut de Meletio dicamus. Hic namq; Eustathio abdicato, ut paulò ante dixi, primū Episcopus Sebastia, quæ est in Armenia, delectus est: deinde Sebastia ad Episcopatum Berææ vrbis Syriæ translatus. Qui cum concilio Seleuciæ habito interfuisset, fideiq; formulæ à factione Acaciana compositæ subscripsisset, extemplo Beræam repetiit. Mox concilio Constantinopoli conuocato, Antiocheni cum pro certo intellexissent Eudoxium ipsorum ecclesiam contempsisse, & Constantinopolim diuitiarum causa se contulisse, Meletium Beræa accersitum, in sede episcopali ecclesiæ Antiochenæ collocant. Illi quanquam primo de fidei dogmatis concionari superfedit, suisque auditoribus ea solum, quæ ad mores rectè informandos spectabant, proposuit, tamen tempore progrediente, fidem illis explanauit. Verbumq; Cõsubstantialiale docuit. Quæ cum accepisset imperator, eum iubet exterminari: Euzoiumq; qui antea simul cum Ario fuisset abdicatus, episcopū Antiochiæ designari mandat. Verum qui erant probe erga Meletium affecti, derelicta prorsus Ariana factione, conuentus separatim facere cœperunt: cum illi, qui fidei Cõsubstantialis perpetuo adhæsisent, duplici nomine cum illis communicare recusarent, tum quod Meletius ipse Arianorum suffragiis fuisset ad

ad sacerdotij functionem delectus, tum quod eius sectatores ab illis baptismi lauacrum recepissent. Itaque ecclesia etiam Antiochena ad eam partem, quæ secum ipsa cõsentiebat, ad hunc modum deflexit. Imperator verò vt intellexerat, Persas contra Romanos bellũ de integro commouisse, Antiochiam prope contendit.

De Heresi Macedonij. CAP. XXXV.

Macedonius verò cum esset vrbe Constantinopoli eiecius, sententiam contra ipsum pronunciatã iniquo animo ferens, acquiescere nullo modo potuit, sed ad eos, qui alterius partis erant, quiq; Seleuciæ Acacium cum suis fautoribus abdicauerant, se transfudit: egitq; cũ Sophronio & Eleusio per internuncios, vt fidei formulæ primum Antiochiæ editæ, deinde Seleuciæ confirmatæ firmè adhærescerent, seduloq; est hortatus, vt eam fidem Consubstantialis, insigni illo & præclaro nomine appellarent. Itaque ad eum frequentes confluerunt, tum non pauci ex ipsius familiaribus, qui iam ex eius nomine Macedoniani dicuntur, tum alij complures, qui in concilio Seleuciensi, à factione Acaciana dissentiebant, quiq; in initio quidem fidem Consubstantialis perspicuè palamq; profitebantur, nunc tamen illã suppressunt. Iste Macedonius, tametsi filium Deum esse, & cum aliis rebus omnibus, tum substantia patri similem asserbat, tamè spiritum sanctum istis honoris quasi insignibus carere affirmavit, eumq; ministrum illis inseruientem vocavit. Fama autè apud multos percrebrescit, hunc errorè nõ à Macedonio, sed à Marathonio potius, qui antea Nicomediæ delectus fuit episcopus, primum excogitatum esse: & propterea eos, qui hunc tuentur errorem, Marathonianos nuncupatos. Ad istorum societatem Eustathius etiam, qui Sebastia erat eam ob causam, quam paulo ante posui, extrusus, se adiunxit. Vbi verò à Macedonio denegatum erat, spiritum sanctum diuinitatis, quæ est in trinitate, participè esse, tum Eustathius, ego, inquit, spiritum sanctum neq; Deum nominare in animum induco, neq; creaturam appellare audeo. Quam ob rem, qui fidem Consubstantialis tenet, illos *πνευματομάχος*, id est, spiritus sancti oppugnatores vocant. Quid verò causæ sit, cur Hellepontus Macedonianis abundet,

abundet,

SOCRATIS HISTORIAE

abundet, dicam idoneo loco. Factio autem Acacianorū studium & operam nauauit, vt rursus conciliū Antiochiæ cogeretur. Nam eos pœnituerat, filium patri omnino similem affirmasse. Quapropter anno sequēti, Tauro & Florentio Coss. Antiochiæ quæ est in Syria, conueniunt: id tēporis & Euzoio illam gubernante ecclesiam, & Imperatore ibi commorante. Nonnulli illorum ea, quæ ab ipsis fuissent ante decreta, in quæstionē denuò vocant: aiunt hoc verbū, simile, ex fidei formula tum Arimini, tum Constantinopoli edita prorsus eximendum esse: neq; amplius suam ipsorum occultant opinionē, sed palam asserunt filium omnino patri dissimilem esse: neq; id substātia solū, sed etiā volūtate: ex his item, quæ non sunt, sicut Ario videbatur, eū constare affirmant. Hoc errore irretiebantur etiā illi, qui Antiochiæ tum sectam Aëtianam secuti sunt. Quocirca præterquam quod Ariani vocabantur, Anomœani præterea, hoc est, qui filium patri dissimilem putant, & Exoucontiani, id est, qui filiū ex his, quæ non sunt, constare dicunt, ab Antiochenis, qui Consubstantialia defendebant, quiq; eodē tempore ob Meletij causam, vt supra docui, diuisi erant, appellabantur. Ac cū ab illis quæreretur, quid esset, cur cū in sua ipsorum fidei formula asseueranter dixissent, filium, Deum ex Deo esse, iam patri dissimilem vocare, & ex his, quæ non sunt constare auderēt asserere, eiusmodi captiosa fallacia, quod obiectum erat, eludere conabantur. Quod autē dictum est, inquit, Deum ex Deo, perinde dictum est, atq; apud Apostolū, Omnia ex Deo esse. Proinde filius ex Deo est, quia in hac voce, omnia, comprehenditur. Itaq; in formulis nostris adiecta est illa particula, Secūdū scripturas. Huius cōmenti author erat Gregorius Laodiceę episcopus: qui quidem cū huiusmodi loquendi modorū imperitus fuit & rudis, tum prorsus ignorauit, qua ratione Origenes superioribus temporibus tales sermonis proprietates, quæ sunt apud Apostolum, vberius fufususq; explanauisset. Acacij autem sectatores, quamuis fallaces captiones consectari manifestò arguerentur, tamen tū probra, tū sententiam contra eos pronunciatam pro nihilo ducentes, eam fidei formulā, quam Constantinopoli recitauerant, ibi etiam perlegerunt: quo facto, singuli ad suas ipsorum ciuitates se receperunt. Georgius
itaque

itaque Alexandriam contendens (illi namq; ecclesie, Athanasio interea in obscuro delitescete, adhuc presuit) omnes, qui ab eius opinione & sententia dissentiebant, grauius afflixit, populūq; Alexandrinū (erat enim multis odiosus & inuisus) grauibus affecit molestiis. Hierosolymis verò Cyrilli loco Erenius episcop^o designatus est, Cui Heracliu^s successisse constat: Huic rursus Hilariū: Postea Cyrillus reuertit Hierosolyma, illiusq; ecclesie episcopatu recuperauit.

De Apolinariſtis & eorum hæreſi.

CAP. XXXVI.

SVB idem tempus nouus quidem error ex tali ortus est causa. Laodicea, quæ est vrbs Syria, duo erant viri, pater & filius, eodem nomine nuncupati (vterq; enim Apollinarius est appellatus) quorū alter, patrem dico, presbyterij gradū in ea ecclesia acquisuerat, alter, nempe filius, lectoris fungebatur munere. Ambo humanioris literaturæ doctores erant, Grammaticæ pater, filius autem Rhetoricæ. Pater Alexandrinus genere, primū Beryti ludum aperuit: dein de Laodiceam comigrans, ibi duxit vxorem: ex qua Apolinarium suscepit. Vterq; eodem tempore Laodiceæ floruit, quo Epiphanius sophista. In cuius amicitiam vbi penitus intrauerat, cum eo multum versari cœperunt. Theodotus autem, episcopus illius ecclesie, veritus admodū ne crebra eius consuetudine ad gentilitatem deflecterent, vetuit ne illum adirent. Illi spreto episcopi concilio, Epiphaniij amicitiam assidue amplexabantur. Postea Georgius successor Theodoti, cum eos ab Epiphaniij consuetudine auocare omninè contenderet, & nullo modo posset illis persuadere, vtrumque à communione quo eos coerceret, segregauit. Adolescens Apolinarius factum illud contumeliæ loco ducens, & dicendi facultate, quæ sophistæ propria est, admodū confusus, nouā hæresim excogitat, quæ hoc tempore etiā ab inuētoris nomine hæresis Apolinariana dicitur. Sūt quidā, qui affirmant illos non tantū ob causam, quā modò citauimus, à Georgio dissensisse, sed quòd animaduertent illum peregrina, eaq; inter se pugnantia docentem: & interdū afferentē filium patri similem esse, sicut in Seleuciano concilio conuentum est, interdum ad Arii hæresim deflectentem.

Quo-

SOCRATIS HISTORIAE

Quocirca illos leui arrepta occasione ab ecclesia recessisse. Vbi verò nemo illis animū attendit, nouam religionis formam inducere moliebantur: ac primum dicebant hominem à Deo verbo assumptum in ipsa, incarnationis œconomia sine anima. Deinde tanquam pœnitentia adducti, illum animam suscepisse concedunt illi quidem, eam tamen non esse mente præditam, sed Deum verbum in hominem, quē sumpserat, mentis loco inclusum. In hac re solum ab ecclesiæ fide disidere se aiunt, qui ab illis nomen duxerunt: quippe trinitatem *ὁμοῦσιον*, id est, Consubstantialem esse assueverant. Verùm de Apolinariis alius mihi deinceps plura dicendi locus erit.

De Constantij Cæsaris morte.

CAP. XXXVII.

DVM Imperator Constantius Antiochiæ versabatur, Iulianus Cæsar in Gallia cum multis Barbaris hominibus conflagit. Quibus deuictis, militibus propterea adeo charus habebatur, vt ab illis Imperator renuntiaretur. Quo audito, Constantius in grauem mentis angorem & ægritudinem coniectus est. Itaq; baptismo ab Euzoio accepto, ad bellum cum eo gerendum recta proficiscitur. Qui cum ad Mopsi fontes, qui sunt inter Cappadociam & Ciliciam, peruenisset, præ nimia sollicitudine in apoplexiâ delapsus, mortem oppetiit, Tauro & Florentio Coss. tertio Non. Nouemb. anno primo ducentesi-mæ octuagesimæ quinte Olympiadis. Vixit Constantius annos 45. Regnavit annos 38. 13. videlicet vna cum patre: post patris mortem 25. Totidem annos hic liber comprehendit.

Finis Secundi libri.